NUNTIA

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS
RECOGNOSCENDO

13

NUNTIA

Directio: PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS RECOGNOSCENDO
VIA DELLA CONCILIAZIONE, 34 - 00193 ROMA
Administratio: LIBRERIA EDITRICE VATICANA - CITTA' DEL VATICANO

1981

INDEX

	pagine
Schema canonum de normis generalibus et de bonis Ecclesiae temporalibus	3-56
Index schematis	57
Schema canonum de sanctionibus poenalibus in Ecclesia	59-80
Schema canonum de clericis et laicis	81
Index schematis	119
Breve relazione sui lavori della Commissione nel 1981	121-122
Nostre informazioni	123

Tres naviculae symbolice plures Ecclesias Orientales sui iuris significant quae eadem directione — codice communi nempe — per mare vitae animas ad salutem ducunt ut πηδάλιον, kormčaja, al-huda.

NUNTIA

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS
RECOGNOSCENDO

13

SCUOLA TIPOGRAFICA ITALO-ORIENTALE «S. NILO» - 00046 GROTTAFERRATA (ROMA)

NOTA AGLI SCHEMI

In questo fascicolo si presentano all'attenzione dei lettori di *Nuntia*, per speciale facoltà concessa a questa Commissione, tre schemi di canoni che sono stati inviati agli Organi di consultazione rispettivamente il 30 settembre 1981 (i primi due schemi) e il 15 novembre 1981 (lo schema « De clericis et laicis »). Per i primi due schemi il tempo utile per le risposte è stato fissato al 30 marzo 1982, mentre per lo schema « De clericis et laicis » questo tempo finisce il 30 maggio 1982.

SCHEMA CANONUM DE NORMIS GENERALIBUS ET DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Praenotanda

In praesenti fasciculo schematum Codicis Iuris Canonici Orientalis recogniti canones quinque titulorum, laboris expediendi gratia in unicum numerorum ordinem digesti, sequenti vero tempore proprium in locum Codicis reponendi, consultationis Organis proponuntur.

Inscriptio fasciculi vocibus « De normis generalibus », non tantummodo ad titulum XXIX, sed etiam ad illos qui de personis et actibus iuridicis, de officiis atque regiminis potestate agunt refertur, dum voces « De bonis Ecclesiae temporalibus » titulum XXII significant, qui hic ponitur, ne libello separato, qui forte consuleretur, pro hoc tantummodo schemate opus sit. Intellegas tamen pro futuro Codice, si eius dispositio alibi descripta [1] tandem adprobetur, nonnisi inscriptiones titulorum valorem servare, inscriptione huius fasciculi prorsus praetermittenda.

Schemata titulorum XVIII, XX atque XXIX a Coetu a studiis Consultorum « De normis generalibus », canones vero titulorum XIX atque XXII a Coetu a studiis « De laicis, officiis atque bonis temporalibus » confecta sunt. Omnes canones Coetui a studiis Centrali Consultorum examini subiecti sunt, postremo vero totus fasciculus, in unica iam numeratione, Coetui a studiis « Speciali », ex decem Consultoribus composito, propositus est, atque in sessionibus a die 24 novembris ad diem 6 decembris anni 1980 habitis, denuo recognitus, ad praesentem formam redactus est.

---

[1] Cf. « Relationem de statu laborum » Synodo Episcoporum anni 1980 propositam, quae in *Nuntia* 11 legi potest.

TITULUS XVIII

DE PERSONIS ET ACTIBUS IURIDICIS

In hoc titulo recogniti sunt canones 16-37 Litterarum Apostolicarum « Cleri sanctitati » (=CS) simul cum quibusdam canonibus Litterarum Apostolicarum « Postquam Apostolicis Litteris » (=PA, cf. Canones 3, 16 et 17 schematis).

In articulo I primi capitis « De personis physicis » notandum est canonem 16 CS (« Baptismate homo constituitur persona in Ecclesia ».) in schemate iam non apparere. Consultoribus enim Commissionis visum est hunc canonem normam supracodicialem continere, quae, de cetero in canone 10 schematis « De cultu divino et praesertim de sacramentis », ubi agitur de incorporatione Ecclesiae in baptismo effecta, sufficienter expressa est.

Omissus est canon 19 de loco originis, cum in schematibus futuri Codicis locutio « locus originis » numquam occurat.

Canones 24 et 25 CS, qui inveniuntur etiam in Litteris Apostolicis « Crebrae allatae sunt » (canones 66 § 4 et 68), nunc in schemate « De cultu divino et praesertim de sacramentis » unicum locum obtinent inter canones de impedimentis matrimonii in specie (cann. 144 et 145).

Ex canone 1 (CS 17) aufertur clausula « firmo iure particulari provectiorem aetatem assignante ». Nam consultoribus necesse visum est unicam regulam de maiore aetate in omnibus Ecclesiis Orientalibus constituere. Nihil in canone de « pubere » vel « impubere » aut de « adulto » habetur, cum in suo quoque loco, ut casus fert, eaedem res alio modo magis directe exprimuntur (e.g. « filii intra 14 annos », ubi de impuberibus sermo est).

Domicilium legale in canone 5 non servatur, sed coniugis enixe suadetur commune domicilium, simulque tamen, sine ulla disparitate tractationis, utrique coniugi permissio fit suum proprium domicilium vel quasi domicilium habendi.

In articulo II « De personis iuridicis », notetur omissio §1 canonis 28 CS de personalitate ipsius Ecclesiae Catholicae. Haec, utpote ordinis divini, ad preambula Codicis pertinet, unde affirmanda non videtur lege aliqua sed omnimode supponenda. Similia dicenda sunt de personalitate iuridica Sedis Apostolicae de qua insuper Codicis orientalis non est quidquam statuere.

Retenta est unica distinctio personarum iuridicarum in « collegiales » nempe vel « non-collegiales », utpote ius vigens fert, Consultoribus concor-

dantibus ceteras distinctiones potius ad doctrinam quam ad Codicem pertinere nec necessario in Codicem inserendas esse.

Communitates personarum in personas iuridicas erectae omnes utpote quodammodo collegiales in schemate proponuntur, iis communitatibus non exclusis in quibus nonnisi unicum est caput (e.g. in eparchia) qui actionem personae iuridicae suis decisionibus determinat, ceteris vel quibusdam membris eiusdem personae iuridicae votum consultivum tantummodo habentibus. Natura collegialis personarum iuridicarum magis in specie vel ex ipso iuris praescripto colligitur vel in statutis iuridicae personae determinari debet.

Ad distinctionem inter « publicas » et « privatas » personas iuridicas quod attinet, schema a iure vigenti non recedit. Scilicet, haec distinctio in canones non introducitur. Auctores enim distinctionem hanc ex natura specifica personarum iuridicarum ducunt, prout scilicet nomine Ecclesiae agere possint necne. De hoc tamen in shemate non agitur, similiter ac nihil de re habetur in articulo I ubi de physicis personis.

In canone 12, qui novus est, ad validitatem actuum personae iuridicae praescribitur (§3), ut statutis rite adprobatis praedita sit in quibus, firmo iure communi, finis specificus, eiusdem personae regimen aliaque in canone commemorata determinari debent.

Iterum novus est canon 13, ideoque magni momenti. In canone hoc norma generalis proponitur iuxta quam is qui personam iuridicam erigit eandem proprio omnino marte supprimere nequit. Norma haec tamen diversimode ad Patriarchas, locorum Hierarchas ceterasque auctoritates in canone applicatur.

Omissus est (can. 19) numerus secundus canonis 29 §1 CS, qui regulam iuris continet, qua statuitur ut ab omnibus approbandum sit id quod omnes, uti singulos, tangit. Haec regula haud recte in praxi sequi potest, atque plures elucidationes exigit, ut doctrina canonica fert. Quapropter Consultoribus Coetus a studiis « Specialis » mense Novembri 1980 coadunati, ipsam hanc regulam, inter ceteras « Regulas iuris » doctrinae esse relinquendam visum est.

In articulo III « De praecedentia » (can. 20) ius vigens (CS can. 37) retinetur, omisso numero de regulis Domus Pontificiae, quae alibi statuuntur.

In capite II « De actibus iuridicis » (cann. 21-25) quaedam nova habentur (e.g. in can. 22 §2 et 23) sed a iure vigenti substantialiter non receditur. Nova tamen (canone 24 excepto), eaque magis perspicua, est formulatio.

TITULUS XIX
DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

De huius tituli recognitione quaedam in *Nuntia* 5, pagg. 47-49, exponuntur quae utiliter legi possunt, sequentibus tamen animadversionibus prae oculis habitis.

In capitis primi articulo I « De electione » canon introductorius, anno 1975 (CS can. 102) ita a Consultoribus Commissionis exaratus est ut singulis Ecclesiis sui iuris reliqueretur facultas proprias leges de electionibus ferendi. Tandem vero canon iste in Coetu a Studiis « Speciali », mense Martio 1980 habito, omissus est, postquam in prosecutione laborum Commissionis, a variis Consultorum Coetibus contrarium statuebatur in omnibus locis codicis in quibus de electione sermo occurrebat atque opinio longe praevaluit in electionibus imprimis nonnisi fixam ac distinctam regulam, non facile mutabilem, ad bonum commune, tranquillitatem ac securitatem iurium hominis magis fundamentalium maxime conferre.

Normae disciplinares canonum 88-137 Litt. Ap. « Cleri Sanctitati », qui in hoc titulo recognoscuntur, ut in pluribus servantur, nonnullis tamen mutatis quae Concilii Vaticani II decretis (cf. Decr. « Presbyterorum ordinis » n. 20 de notione officii; Decr. « Christus Dominus » n. 31 de suppressione distinctionis inter officia inamovibilia et amovibilia) atque organici disciplinae progressui magis congruere visa sunt.

Inter omissos canones animadvertere praestat canonem 112 CS (« suffragium sibimetipsi nemo dare potest »), qui in foro externo vix unquam urgeri potuit. Insuper, ubi opus est, peculiari norma iuris a Sede Apostolica statuta de re provideri potest.

Expungendi ex Codice orientali proponuntur canones 114 et 115 CS qui « de electione per compromissum » agunt, quippe qui ad institutum apud Orientales ignotum sese referant, nec quidquam, ut plures Consultores opinantur, in Oriente hodierno, prosint.

Notetur etiam omissio (in can. 31) clausulae « firmo praescripto can. 499 » quae in can. 97 CS ad provisiones paroeciarum refertur. Haec provisio, vi praedictae clausulae, ultra tempus sex mensium procrastinari in iure vigenti potest. Clausula omissa est in Coetu « Speciali » Consultorum, mense Novembris 1980 habito, mente manifesta ut etiam in paroeciarum vacantium provisione terminus temporis sex mensium observetur.

Canones de amissione officiorum in quattuor sectiones dividuntur eo consilio ut magis perspicue modi quibus officium amitti potest, distinguantur. Casus de amotione ab officio ipso iure (CS can. 130 « de tacita renuntiatione ») in canone 61 ad minimum reducti proponuntur. Privatio ab

officio semper ut poena consideratur in canone 63. Notetur etiam can. 53 §3 quo statuitur ut lapsu temporis praefiniti vel adimpleta aetate amissio officii effectum non habeat nisi a momento quo a competenti auctoritate scripto intimetur.

TITULUS XX
DE POTESTATE REGIMINIS

Recognitio canonum 138-154 Litt. Ap. « Cleri sanctitati » (cf. etiam canones 5-13 Litt.; Ap. « Sollicitudinem Nostram »), simul cum recognitione canonis 306 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris », in hoc titulo proponitur.

In huius tituli canone primo a conceptibus potestatis iurisdictionis fori externi vel interni, qui in iure vigenti habentur, visum est non recedendum. Consultores Commissionis tamen technicis vocibus « potestas iurisdictionis », alias voces, nempe « potestas regiminis » praetulerunt, quippe quae magis congruant distinctioni trium munerum in Ecclesia, muneri scilicet regendi, a muneribus docendi ac sanctificandi distincto, de quibus Constitutio dogmatica « Lumen gentium » Concilii Vaticani II, praeclare agit.

Titulus latius patet quam caput « de potestate ordinaria et delegata » in Litt. Ap. « Cleri sanctitati » contentum. Caput illud potius potestatem regiminis exsecutivam respicit, dum in praesenti titulo plures canones etiam de potestate regiminis legislativa ac iudiciali valent, prout ex canone 69, qui novus est, loculenter patet. Restat tamen ut plures canones huius tituli nonnisi de exsecutiva regiminis potestate agere dicantur quod revera ex ipso textu indubie colligi potest (cf. canones 71, 72, 73, 75, 76).

In canone 68, quo recognoscitur canon 306 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris », notentur illa de Romano Pontifice explicita affirmatio eum Hierarcham esse Supremum in Ecclesia (§1) atque norma (§2) qua statuitur Patriarchas nomine Hierarcharum venire, firmo manente praescripto ut ipsi nonnisi in propria eparchia utpote loci Hierarchae considerandi sint. Notetur etiam brevitas formulationis in §3, qua tamen nihilominus ius vigens ex toto retinetur.

Facultates habituales in iure vigenti privilegiis praeter ius aequiparantur. Haec aequiparatio a Consultoribus Commissionis primo retenta est (cf. *Nuntia* 10 pag. 116 can. 23), dein vero in Coetu a studiis « Speciali », mense Novembris 1980 habito, Consultores ad ea, quae in re a Commissione C.I.C. Recognoscendo proposita sunt, accesserunt utpote peropportuna. Facultates habituales iam non ut privilegia praeter ius considerantur, sed ut ad potestatem regiminis pertinentes. Proinde in canone proponitur ut hae facultates praescriptis de potestate regiminis delegata regantur.

TITULUS XXII
DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

In hoc titulo recognoscitur secunda pars Litterarum Apostolicarum « Postquam Apostolicis Litteris », quae eodem modo inscribitur atque 70 canones (cann. 232-293) comprehendit.

Quibusdam canonibus ad alias sectiones schematum translatis (cf. cann. 16, 17, 177-179 schematis)[2] vel in unicum textum simul congregatis (cf. can. 11), ea omnia omittuntur quae ad ius beneficiale referuntur, de quo Consultores Commissionis nihil in codice omnium Ecclesiarum Orientalium communi statuendum esse censuerunt. Hoc maxime consonat cum Vaticani II Concilii Decretis (cf. « Presbyterorum Ordinis » n. 20: « systema sic dictum beneficiale relinquantur aut saltem ita reformetur ut pars beneficialis... habeatur tamquam secundaria... » etc.). Nihil omnino arduum hac in re esse videtur ut illico hoc systema in Oriente reliqui possit, dum ubique in Oriente, ad iura hic inde iam quaesita tuenda quod attinet, norma quaedam extracodicialis, cuius tamen vix necessitas appareat, sufficiens esse existimatur.

His ita stantibus, titulus 47 canonibus absolvitur, etsi aliquos novos canones, gravis etiam momenti (e.g. can. 92), continet.

Congruenter cum iis quae supra in titulo XVIII circa distinctionem inter publicas et privatas personas iuridicas in Codice Orientali praetermittendam proponuntur, etiam in hoc de bonis Ecclesiae temporalibs titulo iuris vigentis praescriptum, hac in re fundamentale, retinetur (cf. can. 80 §2). Omnia scilicet bona quae ad personas iuridicas ab ecclesiastica auctoritate legitime erectas pertinent « ecclesiastica » vocantur atque, consequenter, praescriptis huius tituli regi debent, nisi aliud expresse iure caveatur. Sensus vocis « ecclesiastica » hoc modo « iuridicus » est atque univoce ad omnia haec bona applicatur. In canone vero 79 schematis aliud iuris vigentis praescriptum retinetur. Scilicet dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinere iuridicam personam affirmatur, quae eadem bona legitime acquisiverit (PA 236 §2).

In canone 83 visum est opportunum de tributis eparchialibus quae personis iuridicis imponuntur distincte agere a tributis quae a personis physicis exigi possint. Quoad physicas personas, ut in canonis §2 proponitur, Hierarchae locorum hoc in negotio pro lubito procedere nequeunt, sed

---

[2] Canones 258, 259, 267, 271 harum Litt. Apostolicarum pertinent ad sectiones Codicis de S. Hierarchia agentes, atque simul cum canonibus Litt. Ap. « Cleri sanctitati » (cf. cann. 280, 299, 438, 481) recognoscuntur.

nonnisi ad normas a Synodo Episcoporum vel Consilio Hierarcharum statutas.

Novus est canon 92 de speciali instituto (« Fund », seu massa bonorum) in singulis eparchiis erigendo, pro clericorum sustentatione eorumque sociali praevidentia, necnon pro satisfactione obligationum erga alias personas Ecclesiae deservientes. Canon optatis Concilii Vaticani II in Decreto « Presbyterorum Ordinis » nn. 20-21 expressis, ut spes est, plene congruit.

Inter canones « de bonis ecclesiasticis administrandis », generali principio (can. 94), administrationem hanc ad eum spectare qui immediate regit personam iuridicam ad quam ea bona pertinent, statuto, plura iuris vigentis praescripta de quibus in canonibus 264-266 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris », utpote superflua, omissa sunt.

Sat vexata quaestio, quinam actus ordinariae bonorum administrationis fines et modum excedant, in canone 91 §1 solvitur, Hierarchis relicto iure, certis sub conditionibus in canone expressis, magis particulares normas hac in re ferendi.

In canone 102 adiungitur §2, quae huius temporis conditionibus congruere videtur ac quae in quibusdam Ecclesiis iam in usu est. De bonis quae Ecclesiae offeruntur publica ratio ut obligatoria proponitur, iis locis exceptis in quibus, iudicio respectivi Hierarchae, ex hoc damnum Ecclesiae occurrere possit. Notetur tamen §2 canonis, ad clausulam quae exceptionem continet quod attinet, accepta est scissis fere in aequas partes suffragiis.

Maioris momenti mutationes habentur in capite « De alienatione et speciatim de contractibus ».

Ea quae principium « subsidiaritatis », ut vocatur, requirere videtur (cf. *Nuntia* 3 pp. 6-7) atque ea quae a Concilio Vaticano II de auctoritate Patriarcharum eorumque Synodorum in Decreto « Orientalium Ecclesiarum » n. 9 statuta sunt, Consultores Commissionis ad canones 281 et 282 PA profunde recognoscendos duxerunt. Hi canones (nn. 107 et 108 in schemate) ita concepti sunt ut in Ecclesiis patriarchalibus licentia ipsius Sedis Apostolicae in bonis Ecclesiasticis alienandis numquam requiratur, cum Synodis Episcoporum earundem Ecclesiarum, ad bona temporalia in hisce Ecclesiis efficaciter tuenda, superior auctoritas tribuatur.

Plures post disceptationes omissa est §2 canonis 278 PA, quae magis in particulari leges civiles in contractibus servandas circumscribit. Omnibus mature perpensis, in Coetu « Speciali » Consultorum, mensibus Novembri et Decembri 1980 habito, nulla umbra relicta, clare apparuit leges civiles in casibus contractuum iam ubique terrarum omnino determinatas esse. Quapropter de re magis particularia iuris canonici praescripta nihil utilitatis prae se ferre, immo claritati Codicis obstare, Consultoribus visum est.

Sollemnitates in canonibus 107 et 108 praescriptae servandae propo-

nuntur etiam in locatione, emphyteusi, oppignoratione, hypotheca atque in quolibet negotio in quo condicio patrimonialis iuridicae personae de qua agitur peior fieri possit, omissis peculiaribus de re praescriptionibus de quibus in canonibus 182, 287, 288, 291, 292 PA (cf. can. 110 schematis).

De piis voluntatibus et de piis fundationibus canones simul in unum caput (IV) congregantur. Piae enim fundationes nonnisi species sunt piarum voluntatum. In canone 117 proponitur ut rerum complexus, seu personae iuridicae non collegiales de quibus in canone 8, qui ad opera pietatis, apostolatus vel caritatis destinantur, nomine piarum fundationum autonomarum veniant. Harum erectio, ut canon 118 §1 schematis fert, Hierarchis locorum reservanda proponitur. Disciplina vero, quae refertur ad bona temporalia alicui personae iuridicae collegiali (scilicet communitati personarum) data cum onere in diuturnum tempus ex reditibus annuis opera pietatis, apostolatus vel caritatis persequendi, et quae vocantur « piae fundationes non autonomae » substantialiter normis iuris vigentis congruens in schemate proponitur, iis quae sequuntur exceptis. Novitates maioris momenti, utramque speciem piarum fundationum afficientes, proponuntur in canonibus 122-124, ubi de reductione (vel translatione) onerum quae pias fundationes gravant, oneribus divinam Liturgiam celebrandi haud exceptis, agitur. Praeter alias facultates quae Hierarchis locorum concedendae proponuntur, visum est, spectato « subsidiaritatis », ut vocatur, principio, conveniens, Patriarchis orientalibus tribuere ius reducendi onera divinae Liturgiae celebrandae, ex consensu tamen Synodi Episcoporum, atque certiore facta Sede Apostolica. Conditio apposita sane gravis est, cum Synodus Episcoporum non facile convocetur.

Titulus XXIX
DE LEGE, CONSUETUDINE, ACTIBUS ADMINISTRATIVIS ATQUE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Quibusdam, paucis tamen, canonibus exceptis (cann. 129, 177-183), in hoc titulo recognoscuntur illae sectiones Codicis Orientalis, quae a praecedenti Commissione, Codici Orientali nempe redigendo praepositae, elaboratae quidem sunt, sed numquam promulgatae.

Textus canonum, prout in tabulario eiusdem Commissionis iacebant, informationis amplae de recognitionis canonum labore atque canonicae scientiae progressus gratia, publici iuris facti sunt in *Nuntia* 2 pagg. 54-72.

Coetus a studiis Consultorum, « De normis generalibus » nuncupatus, primum quoddam schema tituli huius iam anno 1978 perfecit. Schema illud tamen novo examini subiectus est in Coetu a studiis « Speciali » mense Martio 1980 coadunato, de cuius opera ac studio relatio, ad hunc titulum

quod attinet, in *Nuntia* 10 pagg. 94-118 gallico sermone confecta, omnibus patet. Verumtamen, pluribus dubiis ex coordinatione schematum de hoc titulo exortis, totus titulus ab alio Coetus «Speciali », a die 24 Novembris ad diem 6 Decembris coadunato, iterum recognitus est. Nonnullae mutationes, maioris etiam momenti (cf. e.g. ea quae supra de canone 66 schematis dicta sunt), ab hoc Coetu in canones huius tituli inductae sunt.

In capite I « De legibus » (cann. 126-141) fere inextricabiles quaestiones, cum notionibus legum « universalium », « territorialium », « personalium » etc. connexae, tandem, unanimi fere consensu Consultorum, in canonibus 128 et 129 solutae proponuntur, omnino his vocibus vitatis. Novo modo res propununtur cum spe magis perspicue statuendi quibusnam legibus unusquisque Christifidelium subiaceat. In canone 129 traduntur definitiones « iuris particularis » et « iuris communis ». Hae voces in schematibus passim adhibitae sunt proindeque distincte definiri debent. « Ius particulare », etiamsi negative potius describitur, omnes leges ac consuetudines, statuta et similia (vox « similia » sat patet) amplectitur, quae a Synodis orientalibus, Hierarchis locorum, a Synaxibus Religiosorum aliisque competentibus organis orientalibus legitime feruntur. Hoc modo « ius particulare » sine ulla obscuritate a « iure communi », quo veniunt leges et consuetudines Ecclesiae Catholicae universalis aut omnium Ecclesiarum orientalium communes, probe distingui videtur.

In huius sermonis contextu notandum est, normam, hucusque maximi momenti atque inde a Benedicto XIV in praxi vigentem qua fideles rituum orientalium ab universalibus Ecclesiae legibus, etsi latis in Litteris Encyclicis vel Constitutionibus Apostolicis, eximuntur, nisi agatur de rebus fidei vel morum aut de declaratione legis divinae sive naturalis sive positivae (*Nuntia* 2, p. 66, can. 6 - cf. fontes canonis), Consultores trium a studiis Coetuum, scissis tamen fere in aequas partes suffragiis, in Codicem inserendam non esse censuisse. Etenim, supposita illa aequalitate inter Ecclesias, tum Orientis tum Occidentis, quae a Vaticano Concilio II extollitur (Decr. « Orientalium Ecclesiarum » n. 3) atque consideratis iis quae superius de notionibus « legis universalis » et « iuris communis » dicta sunt, pluribus Consultoribus haud consonum visum est hanc normam in novum Codicem inserere.

In capite II « De consuetudine », imprimis fons magis profundus cuiuscuque legitimae in Ecclesia consuetudinis indicatur, quatenus scilicet ea actuositati Spiritus Sancti in corpore ecclesiali correspondeat. Hoc supposito, ut consuetudo normam iuridicam constituat, plura in canonibus praescripta requiruntur ac imprimis consensus, saltem tacitus, legitimi superioris. Verumtamen, visum est consensum hunc iam haberi ubicumque ceterae condiciones, sive ex natura rei requisitae sive ab ipso hoc Superiore ad

validitatem consuetudinis statutae, adimpleantur. Alia ex parte, nihil obstat quominus idem superior consensu suo consuetudinem aliquam acceptet antequam conditiones ab eodem statutae adimpleantur.

Hoc in casu consuetudo vim iuridicam obtinet quo primum de superioris legitimi consensu, qui tacitus tantummodo esse potest, certo contest (can. 142 §2).

Pro locutione « consuetudo vim legis habet » et similibus substituta est locutio « consuetudo vim iuris habet », quae clariori modo comprehendere videtur, praeter alias, etiam consuetudines legis abrogativas.

In capite III « De actibus administrativis » omni conatu Consultores Commissionis contenderunt normas perplures de hac materia tractantes, quae in « textibus initialibus » inveniuntur, ad essentialia reducere, easque tali ordine disponere ut Hierarchae orientales, qui principaliter his normis afficiuntur, sine nimia difficultate eas ad praxim deducere possent. Haec eo magis necessaria visa sunt, iis consideratis quae in schemate « De tutela iurium seu de processibus » circa recursus administrativos proponuntur, qui apud sectiones administrativas tribunalium introduci possunt si norma iuris in actibus administrativis ferendis neglecta fuerit. Hac ratione adumbrata intelligitur etiam ratio cur articulus II (canones 154-157), a sectione de processibus desumptus, tandem inter normas generales in hunc titulum translatus sit. Eadem ratione Consultores perspicuitatem in distinctione inter leges ac actus administrativos, quae permagni interest, praetulerunt magis completae et technicis vocibus cumulatae tractationi huius materiae, quae quidem ad doctrinam potius, quam ad praxim canonicam conferre visa est (cf. *Nuntia* 10, pp. 108-109, ubi de edictis, mandatis atque ordinationibus generalibus Patriarcharum sermo fit, quae tamen ut leges considerari nequeunt).

Caput IV « De praescriptione », ut iam supra dictum est, a titulo « De bonis Ecclesiae temporalibus » desumptum, hoc loco positum est, quippe quod de praescriptione cuiuscumque iuris subiectivi agat normas generales de ea continens.

In capite V « De temporis supputatione » canones, ex sectione « De verborum significatione » Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris » desumpti (PA cann. 321-325), ad simpliciorem formam reducti sunt, sed a iure vigenti substantialiter recedere non videntur. Canones isti postremo loco ultimi Codicis futuri tituli positi, fortasse, etsi sine ulla Commissionis expressa mente, ut salutaris de aeternitate, quae supputationi non subiacet nec Codice indiget, quaedam quasi admonito ab aliquo aestimari possint. Si ita, milies praestet.

TITULUS XVIII
DE PERSONIS ET DE ACTIBUS IURIDICIS

Caput I
DE PERSONIS

ART. I - *De personis physicis*

Can. 1 (CS 17)

§ 1. Persona quae duodevigesimum aetatis annum explevit maior est; infra hanc aetatem, minor.

§ 2. Minor, ante plenum septennium, dicitur infans et censetur non sui compos; expleto autem septennio usum rationis habere praesumitur.

§ 3. Quicumque usu rationis habitu est destitutus censetur non sui compos et infantibus assimilatur.

Can. 2 (CS 18)

§ 1. Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium; minor in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxia manet, iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet.

§ 2. Ad constitutionem tutorum vel curatorum quod attinet serventur praescripta iuris civilis nisi ius particulare singularum Ecclesiarum sui iuris aliud statuat et firmo semper iure Hierarchae loci tutores vel curatores si opus sit per seipsum constituendi.

Can. 3 (PA 304)

Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium, *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium.

Can. 4 (CS 20)

§ 1. Domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem eparchiae commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi perpetuo

manendi, si nihil inde avocet, aut ad decennium completum sit protracta.

§ 2. Quasi domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem eparchiae commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem per sex menses, si nihil inde avocet, aut ad sex menses reapse sit protracta.

(Can. 5 (CS 21)

§ 1. Minor necessario retinet domicilium et quasi-domicilium illius cuius potestati subiicitur. Infantia egressus potest etiam quasi-domicilium proprium acquirere; atque legitime ad normas iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.

§ 2. Quicumque, alia ratione quam minoritate, in tutelam vel curatelam legitime traditus est, domicilium et quasi-domicilium habet tutoris vel curatoris.

§ 3. Coniuges commune habeant domicilium vel quasi-domicilium; iusta vero de causa uterque habere potest proprium domicilium vel quasi-domicilium.

Can. 6 (CS 22)

§ 1. Tum per domicilium tum per quasi-domicilium proprium quisque parochum et Hierarcham Ecclesiae, cui adscriptus est, sortitur, nisi aliud iure communi caveatur.

§ 2. Parochus proprius illius, qui non habet nisi eparchiale domicilium vel quasi-domicilium, est parochus loci in quo actu commoratur.

§ 3. Proprius vagi parochus et Hierarcha est suae Ecclesiae parochus et Hierarcha loci in quo vagus actu commoratur.

§ 4. Deficiente parocho pro christifidelibus alicuius Ecclesiae sui iuris, horum Hierarcha designet parochum alterius Ecclesiae, qui eorum curam tamquam parochus proprius suscipiat, postquam idem Hierarcha habuerit consensum Hierarchae parochi designandi.

§ 5. Extra territorium alicuius Ecclesiae sui iuris pro christifidelibus eidem Ecclesiae adscriptis tamquam proprius habendus est Hierarcha de quo in can. NN * schematis « De constitutione hierarchica Ecclesiarum Orientalium ».

Can. 7 (CS 23)

Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto canonis 5 § 1 et § 2.

---

* Agitur de recognito canone 22 *Motu proprio* « Cleri sanctitati ».

ART. II - *De personis iuridicis*

Can. 8 (CS 27)

In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae iuridicae, subiecta scilicet obligationum et iurium quae earum indoli congruunt, sive sunt communitates personarum seu personae iuridicae collegiales sive rerum complexus seu personae iuridicae non-collegiales.

Can. 9 (CS 28 § 1)

Personae iuridicae constituuntur aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione per decretum data in finem missioni Ecclesiae congruentem.

Can. 10 (CS 28 § 2)

Communitas personarum in personam iuridicam erigi non potest nisi saltem ex tribus personis physicis constet.

Can. 11

§ 1. Firmo iure communi, quaelibet persona iuridica per decretum erecta hebere debet propria statuta vel ordinationes ab auctoritate, quae ad eandem personam iuridicam erigendam competens sit, adprobata.

§ 2. Statuta vel ordinationes adprobari non possunt nisi cum iure communi congruant et in iis de sequentibus provideatur:

1° de fine specifico personae iuridicae;

2° de natura collegiali si de communitate personarum agitur;

3° ad quem pertinet et quomodo exercenda moderatio personae iuridicae;

4° quis in foro ecclesiastico et civili personam iuridicam repraesentat;

5° ad quem pertinet de bonis personae iuridicae disponere et quisnam sit exsecutor in casu extinctionis personae iuridicae, divisionis in plures personas iuridicas vel coniunctionis cum aliis iuridicis personis, servatis semper offerentium voluntatibus necnon iuribus quaesitis.

§ 3. Antequam statuta vel ordinationes adprobata sint persona iuridica valide agere nequit.

Can. 12 (CS 30)

§ 1. Persona iuridica, natura sua, perpetua est; tamen extinguitur si a legitima auctoritate supprimatur vel si per centum annorum spatium esse desierit.

§ 2. Persona iuridica supprimi potest nonnisi gravi de causa, auditis eiusdem moderatoribus et servatis quae in statutis vel ordinationibus de casu suppressionis praescribuntur.

Can. 13

§ 1. Patriarchae est, audita Synodo permanenti, supprimere personas iuridicas ab ipso erectas, Hierarchae loci vero illas quas ipse erexit, auditis consultoribus eparchialibus; in ceteris casibus quis personas iuridicas erigit eas supprimere valide nequit, nisi consensus Hierarchae ipsi immediate superioris accedat.

§ 2. Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum intra fines territorii Ecclesiae cui praeest quamcumque personam iuridicam supprimere potest, illis exceptis quae a Sede Apostolica erectae vel saltem adprobatae sunt.

Can. 14 (CS 30)

§ 1. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit et tamen ea secundum statuta esse non desierit, exercitium omnium iurium communitatis illi membro competit, salvo praescripto § 2.

§ 2. Persona collegialis numero membrorum voce activa fruentium destituta quae ad normam iuris ad actus exercendos requiruntur, speciali curae Superioris ecclesiastici subditur. Superior, nisi aliud iure cautum sit, auditis membris voce activa fruentibus, actus collegiales supplere debet.

§ 3. Actus non collegiales ad quos alicuius collegii interventus ad normam iuris ad validitatem requiritur, confirmatione eiusdem Superioris ad validitatem indigent.

Can. 15 (CS 31)

§ 1. Nisi aliud iure cautum fuerit, bona et iura personae iuridicae collegialis quae membris caret, ad modum patrimonii personae non collegialis, illius Superioris ecclesiastici cura conservari, administrari seu exerceri debent, cui in casu extinctionis de ipsis statuere competit. Superior debet ad normam iuris fideli adimpletioni providere onerum quae illa bona gravant.

§ 2. Adscriptio membrorum huius personae, salvis normis iuris, ab illo Superiore ecclesiastico fieri potest et, iuxta casus, debet, cui ipsius personae collegialis immediata cura competit. Idipsum servetur si membra, quae remanent, adscriptionis peragendae iure incapacia sint.

§ 3. Nominatio rectorum et administratorum personae non collegialis, si ad normam iuris fieri nequeat, ad immediatum Superiorem ecclesiasticum

devolvitur; eidem Superiori ecclesiastico onus incumbit administrationis ad normam § 1, donec idoneum administratorem nominaverit.

Can. 16 (PA 237)

Diviso territorio personae iuridicae ita ut vel illius pars alii personae iuridicae uniatur, vel distincta persona iuridica pro parte dismembrata erigatur, etiam bona communia quae in commodum totius territorii erant destinata, et aes alienum quod pro toto territorio contractum fuerat, ab auctoritate ecclesiastica, cui divisio competat, debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis omnibus et singulis obligationibus, itemque salvis piorum fundatorum seu oblatorum volutatibus, iuribus legitime quaesitis ac legibus particularibus, quibus persona iuridica regatur.

Can. 17 (PA 238)

Exstincta persona iuridica; eius bona fiunt personae iuridicae immediate superioris, salvis semper fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis atque iure particulari quo, exstincta persona iuridica regebatur.

Can. 18 (CS 28 § 3)

Qualibet persona iuridica gaudet favoribus quibus in iure pollent minores.

Can. 19 (CS 29)

Nisi aliud expresse iure statutum fuerit ad actus collegiales quod attinet:

1° si agatur de electionibus, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, electus habeatur senior aetate, nisi agatur de electionibus inter solos clericos vel religiosos, quibus in casibus electus habeatur antiquior ordinatione vel, inter religiosos, antiquior professione;

2° si agatur de aliis negotiis, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori, eorum qui sunt praesentes, demptis suffragiis nullis; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

ART. III - *De praecedentia*

Can. 20 (CS 37)

Circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu iuridicas, salvis normis specialibus quae traduntur suis in locis, serventur normae quae sequuntur.

1° Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam, sed qui in Synodis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent, firmo iure particulari, post personas eiusdem gradus quae intersunt nomine proprio.

2° Cui est auctoritas in personas sive physicas sive iuridicas eidem ius est praecedentiae supra illas.

3° Inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alias auctoritatem: qui ad gradum potiorem pertinent praecedunt iis qui sunt inferioris gradus; inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altiorem ordinem tenet praecedit iis qui in inferiore sunt positi; si denique ad eundem gradum pertineant eundemque ordinem habeant, praecedit qui prius est promotus ad gradum; si eodem tempore promoti sint, antiquior sacra ordinatione, et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate.

4° In praecedentia diversitas ritus non attenditur.

5° Inter varias personas iuridicas eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, erecta est; inter sodales vero alicuius collegii, ius praecedentiae determinetur ex propriis legitimis statutis; secus ex iure particulari, quo deficiente, ex praescripto iuris communis.

6° Hierarchae loci est in sua eparchia statuere praecedentiam inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum eparchiae consuetudinum et munerum iis commissorum, et omnes de praecedentia controversias, etiam inter exemptos, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remoto omni recursu in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque.

Caput II

De actibus iuridicis

Can. 21 (SN 200)

§ 1. Actus iuridicus, ut valeat, requiritur a persona habili et competenti sit positus, atque in eodem adsint quae actum ipsum essentialiter constituunt, necnon sollemnia et requisita iure ad validitatem actus imposita.

§ 2. Actus iuridicus quoad sua elementa externa rite positus praesumitur validus.

Can. 22 (CS 32)

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequaquam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi, iniuste incusso, aut ex dolo, valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

Can. 23 (CS 33)

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versetur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidit in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ed normam iuris.

Can. 24 (CS 34)

Quodlibet damnum iniuria datum resarciendum est ab eo cuius dolo vel culpa illatum sit.

Can. 25 (CS 35, 36)

§ 1. Cum iure statuatur ad actus ponendos superiorem indigere consensu aut consilio alicuius personarum coetus, convocari debet coetus ad normam canonis 37, atque ut actus valeat requiritur ut consensus aut consilium detur per partem suffragiorum absolute maiorem eorum qui sunt praesentes.

§ 2. Cum iure statuatur ad actus ponendos superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum, ut singularum:

1° si consensus exigatur, invalidus est actus superioris consensum earum personarum non exquirentis aut contra eorum vel alicuius votum agentis;

2° si consilium exigatur, invalidus est actus superioris easdem personas non audientis; superior, licet nulla obligatione teneatur ad earundem votum,

etsi concors, accedendi, tamen sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim concorde, ne discedat.

§ 3. Omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas id postulat, secretum sedulo servandi, quae quidem obligatio a superiore urgeri potest.

TITULUS XIX
DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Can. 26 (PA 305)

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus a competenti auctoritate stabiliter constitutum in finem spiritualem exercendum.

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria necnon auctoritas competens ad provisionem canonicam definiuntur sive lege sive decreto quo officium constituitur.

§ 3. Auctoritati cuius est officia constituere est etiam ea innovare, supprimere, atque de eorundem canonica provisione providere, nisi aliud iure statuatur.

Can. 27

§ 1. Qui officium erigit, curare debet ut praesto sint media ad eiusdem adimplementum necessaria utque prospiciatur honestae retributioni eorum qui officio funguntur.

§ 2. Nisi aliud iure communi statuatur, superiori auctoritati legislativae uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris est normas ferre quibus haec praescripta ad effectum deducantur.

Caput I
DE PROVISIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM

Can. 28 (CS 88)

§ 1. Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri.

§ 2. Officii provisio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace facta, irrita est ipso iure.

Can. 29 (CS 89)

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem a competenti auctoritate; aut per eius confirmationem, si praecesserit electio; aut per

eius admissionem, si praecesserit postulatio; aut per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

Can. 30 (CS 95)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Cum provisus caret qualitatibus requisitis, provisio est nulla solummodo si ita cautum sit iure communi vel particulari aut lege fundationis: secus est valida sed rescindi potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam tribunalis administrativi.

Can. 31 (CS 97)

Officiorum provisio, cui nullus terminus est speciali lege praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita notitia vacationis computandos.

Can. 32 (CS 98)

Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt, nisi adsit vera necessitas.

Can. 33 (CS 91)

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam canonis 53 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit.

§ 2. Si vero agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio dumtaxat a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest; sed provisus officium obtinet tantum expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

Can. 34 (CS 99)

§ 1. Officium de iure vacans quod forte ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

§ 2. Officium vacans per renuntiationem, translationem, amotionem vel privationem nequit ab auctoritate quae renuntiationem acceptavit aut decretum vel sententiam de translatione, amotione vel privatione tulit, valide conferri suis aut resignantis consanguineis vel affinibus usque ad quartum

gradum inclusive, nisi accedat praevius consensus auctoritatis immediate superioris. Si vero haec auctoritas est Patriarcha, requiritur et sufficit consensus Synodi permanentis.

Can. 35 (CS 100)

Qui, alium negligentem vel impeditum supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in personam cui collatum est, sed huius condicio iuridica eadem est ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

ART. I - *De electione*

Can. 36 (CS 103 et 120)

§ 1. Si cui coetui sit ius eligendi ad officium, electio, nisi aliud iure cautum fuerit, numquam differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, competens autoritas, cui ius confirmandae electionis vel cui ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

§ 2. Idem valet si coetus ius eligendi alio modo amittit.

Can. 37 (CS 104)

§ 1. Salvo iure particulari, coetus praeses electores convocet, loco ac tempore ipsis convenienti; convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis, modo qui tutissimus sit ad normam iuris particularis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata praeteritione et absentia, a competenti auctoritate rescindi, etiam post confirmationem, dummodo ad normam iuris constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse trasmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

Can. 38 (CS 105 et 110)

§ 1. Convocatione legitime facta, ius suffragium ferendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate valide ferendi suffragia per epistolam vel procuratorem, nisi iure aliud caveatur.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens in ea domo sit in qua fit electio,

sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter iure particulari fuerit constitutum.

Can. 39 (CS 106)

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

Can. 40 (CS 107)

Nemo coetui extraneus admitti potest ad suffragium secus electio est ipso facto nulla.

Can. 41 (CS 108)

Si libertas in electione quoquo modo reapse impedita fuerit, ipso iure electio invalida est.

Can. 42 (CS 109)

§ 1. Inhabiles sunt suffragium ferendi:

1° incapaces actus humani;

2° minores;

3° carentes voce activa;

4° qui Ecclesiae aut Communitati ecclesiali ab Ecclesia Catholica seiunctae adscripti sunt, aut qui ab Ecclesiae Catholicae communione formaliter defecerunt.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicationi maiori subiectus.

Can. 43 (CS 111)

§ 1. Suffragium est nullum, nisi fuerit:

1° liberum et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctim;

2° secretum, certum, absolutum, determinatum, reprobata quacumque contraria consuetudine.

§ 2. Condiciones ante electionem suffragio appositae tamquam non adiectae censentur.

Can. 44 (CS 113)

§ 1. Antequam incipiat electio, deputentur e gremio coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores suffragia colligant et coram praeside electionis inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quod quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum non aequatur numero elegentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, destruantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo qui actuarii munere fungitur accurate describuntur et postquam coram electoribus perlecta sunt, saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscribantur atque in coetus tabulario diligenter asserventur.

Can. 45 (CS 116)

Is electus habeatur et a coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam canonis 19.

Can. 46 (SC 117, 118)

§ 1. Electio, scripto vel alio legitimo modo, illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare coetus praesidi utrum electioni consentiat vel non, secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus non acceptaverit, omne ius ex electione amittit nec electio subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; coetus intra mensem a cognita non acceptatione ad novam electione procedere debet.

Can. 47 (CS 118 §§ 2 et 3)

§ 1. Electus, acceptatione electionis, si confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus non acquirit nisi ius ad exigendam electionis confirmationem.

§ 2. Ante acceptam confirmationem, electo non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

Can. 48 (CS 119)

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, debet, non ultra octo dies a die acceptatae electionis, confirmationem a competenti auctoritate pe-

tere per se vel per alium; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento fuisse detentum.

§ 2. Competens auctoritas, si electum repererit idoneum, et electio ad normam iuris fuerit peracta, nequit confirmationem denegare.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Recepta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officio, nisi aliud in iure caveatur.

Art. II - *De postulatione*

Can. 49 (CS 121)

Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praeferant impedimentum obest, a quo dispensari possit, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

Can. 50 (CS 122)

Ut postulatio vim habeat, saltem duae tertiae partes suffragiorum requiruntur; secus electus habeatur in tertio scrutinio eligibilis qui partem suffragiorum relative maiorem obtinuit, excluso postulato.

Can. 51 (CS 123)

§ 1. Postulatio quamprimum, a praeside coetus, nec ultra octo dies, mitti debet ad auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla evadit nisi probetur praesidem coetus a mittenda postulatione iusto detentum fuisse impedimento aut deliberate vel gravi negligentia ab ea mittenda abstinuisse.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione; eam admittendi auctoritas competens obligatione non tenetur.

§ 4. Postulationem ad auctoritatem competentem missam electores revocare non possunt.

Can. 52 (CS 124)

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad coetum redit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id scripto significetur postulato, qui respondere debet ad normam canonis 46.

§ 3. Qui admissam postulationem acceptat, pleno iure statim officium obtinet.

Caput II
De amissione officii ecclesiastici

Can. 53 (CS 125)

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletione aetatis iure definitae, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure auctoritatis a qua fuit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Lapsu temporis praefiniti vel adimpleta aetate, amissio officii effectum habet tantum a momento quo a competenti auctoritate scripto intimetur.

§ 4. Ei qui ob impletam aetatem aut renuntiationem acceptam officium amittit, titulus emeriti conferri potest.

§ 5. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisione competit.

1) - De renuntiatione

Can. 54 (CS 126)

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare.

Can. 55 (CS 127)

Renuntiatio facta ex metu gravi iniuste incusso, dolo, errore substantiali aut simoniace, irrita est ipso iure.

Can. 56 (CS 128-129, 131-133)

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, scripto vel coram duobus testibus, auctoritati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

§ 3. Renuntiationem competens auctoritas intra tres menses scripto acceptet vel reiciat; renuntians in officio permanet donec de acceptatione certum nuntium acceperit.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest.

2) De translatione

Can. 57 (CS 135)

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Si translatio fiat invito officii titulari gravis requiritur causa et, firmo semper iure rationes contrarias exponendi, servetur modus procedendi iure praescriptus.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

Can. 58 (CS 136)

§ 1. Translationis ratione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice habitam, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Remunerationem cum priore officio connexam translatus percipit, donec alterius possessionem canonice obtinuerit.

3) De amotione

Can. 59 (CS 134)

§ 1. Ab officio quis amovetur sive decreto ab auctoritate competenti legitime edito, servatis quidem iuribus ex contractu quaesitis, sive ipso iure ad normam canonis 61.

§ 2. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est.

Can. 60 (CS 134)

§ 1. Ab officio quod alicui confertur ad tempus definitum, non potest quis amoveri nisi ob graves causas, atque servato procedendi modo iure definito.

§ 2. Idem valet ut quis ab officio quod alicui ad tempus determinatum confertur, ante hoc tempus elapsum, amoveri possit.

§ 3. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad prudentem discretionem auctoritatis competentis, potest quis iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

Can. 61 (CS 130)

§ 1. Ipso iure ab officio ecclesiastico amovetur:

1° qui statum clericalem amiserit;

2° qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

3° clericus qui matrimonium etiam civile tantum attentaverit.

§ 2. Amotio de qua in nn. 2 et 3 urgeri tantum valet si de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

Can. 62

Si quis, non quidem ipso iure sed per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritatis obligatione tenetur curandi ut ipsius subsistentiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

4) De privatione

Can. 63 (CS 134)

Privatio ab officio nonnisi in poenam delicti infligi potest.

TITULUS XX

DE POTESTATE REGIMINIS

Can. 64 (CS 138 et 143)

§ 1. Potestas regiminis, etiam iurisdictionis vocata, alia est fori externi, alia fori interni seu conscientiae, sive sacramentalis sive non sacramentalis.

§ 2. Quando potestas regiminis exercetur pro solo foro interno, effectus quos eius exercitium natum est habere pro foro externo, in hoc foro non recognoscuntur, nisi quatenus id determinatis pro casibus iure statuatur.

Can. 65 (CS 139)

§ 1. Potestas regiminis ordinaria ea est quae ipso iure alicui officio adnectitur; delegata quae ipsi personae non mediante officio conceditur.

§ 2. Potestas regiminis ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.

Can. 66

§ 1. Facultates habituales reguntur praescriptis de potestate delegata.

§ 2. Facultas vero habitualis Hierarchae concessa, nisi in eius concessione aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, non perimitur resoluto iure Hierarchae cui concessa est, etiamsi ipse eam exsequi coeperit, sed transit ad quemvis Hierarcham qui ipsi in regimine succedit.

§ 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultas habitualis Episcopo eparchiali concessa competit quoque Protosyncello atque, intra fines suae competentiae, Syncello.

Can. 67 (CS 144)

§ 1. Ei qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

§ 2. Delegatus qui, sive circa res sive circa personas, mandati sui fines excedit, nihil agit.

§ 3. Fines sui mandati excedere non intelligitur delegatus qui alio modo ac in mandato determinatur, ea, ad quae delegatus est, peragit, nisi modus ab ipso delegante ad validitatem fuerit praescriptus.

§ 4. Nulla potestas subdelegata interum subdelegari valet, nisi id expresse a delegante concessum fuerit.

Can. 68 (PA 306)

§ 1. Romanus Pontifex in Ecclesia Hierarcha est supremus.

§ 2. Hierarchae nomine veniunt imprimis Patriarcha, Archiepiscopus Maior, Metropolita qui alicui provinciae ecclesiasticae praeponitur, necnon illi qui iis ad interim in regimine ad normam iuris succedunt. Hi vocantur Hierarchae loci ad normam § 3 tantummodo relate ad eparchiam propriam

quam regunt, firmo canone NN * schematis « De constitutione hierarchica Ecclesiarum Orienalium .

§ 3. Nomine Hierarchae loci intelliguntur Episcopus eparchialis, Exarchus de quo in canone NN ** schematis « De constitutione hierarchica Ecclesiarum orientalium », Administrator Apostolicus, Protosyncellus et Syncellus, itemque ii qui, praedictis deficientibus, ad interim legitime succedunt in regimine.

§ 4. Superiores maiores in Institutis vitae consecratae qui potestate regiminis ordinaria gaudent etiam vocantur Hierarchae sed non loci.

Can. 69

§ 1. Potestas regiminis distinguitur legislativa, exsecutiva, iudicialis.

§ 2. Potestas legislativa exercenda est modo iure praescripto, et ea qua in Ecclesia gaudet legislator infra Auctoritatem Supremam delegari nequit, nisi aliud explicite caveatur aut iure communi aut iure particulari a Superiore Auctoritate legislativa cuiusque Ecclesiae sui iuris statuto.

§ 3. Potestas iudicialis, qua gaudent iudices aut collegia iudicialia, exercenda est modo iure praescripto, et delegari valide nequit, nisi ad actus cuivis decreto aut sententiae praeparatorios perficiendos.

Can. 70 (CS 142)

Potestatem exsecutivam quis, licet extra territorium exsistens, exercere valet in subditos, etiam e territorio absentes, nisi aliud ex rei natura aut ex iuris praescripto constet; in peregrinos in territorio actu degentes, si agatur de favoribus concedendis aut de exsecutioni mandandis sive legibus iuris communis sive legibus particularibus quibus ipsi ad normam canonis 128 § 3 tenentur.

Can. 71 (CS 140)

§ 1. Potestas exsecutiva ordinaria delegari potest tum ad actum tum ad universitatem casuum, nisi aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Potestas exsecutiva ab Apostolica Sede vel a Patriarcha delegata subdelegari potest, sive ad actum sive ad universitatem casuum, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio fuerit expresse prohibita.

---

* Agitur de recognito canone 282 *Motu proprio* « Cleri sanctitati ».

** Agitur de textu novo quo recognoscuntur canones 362, 366 et 388 *Motu proprio* « Cleri sanctitati ».

§ 3. Potestas exsecutiva delegata ab alia auctoritate potestatem ordinariam habente, si ad universitatem casuum delegata sit, in singulis tantum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus determinatos delegata sit, subdelegari nequit, nisi ex expressa delegantis concessione.

Can. 72 (CS 141)

Potestas exsecutiva ordinaria necnon potestas ad universitatem casuum delegata, late interpretanda est, alia vero quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem potestas exerceri nequit.

Can. 73 (CS 147)

§ 2. Potestas exsecutiva pluribus delegata praesumitur iisdem delegata singillatim.

§ 2. Pluribus singillatim ad idem negotium agendum delegatis, qui prior negotium tractare inchoaverit, alios ab eodem agendo excludit, nisi posthac impeditus fuerit aut in negotio peragendo ulterius procedere noluerit.

§ 3. Pluribus collegialiter ad negotium agendum delegatis, procedere debent secundum praescripta de actibus collegialibus statuta, nisi in mandato aliud cautum sit.

Can. 74 (CS 149)

§ 1. Potestas delegata extinguitur expleto mandato; elapso tempore concessionis vel exhausto numero casuum pro quibus concessa fuerit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata necnon renuntiatione delegati deleganti significata et ab eo acceptata; non autem resoluto iure delegantis, nisi ex appositis clausulis appareat.

§ 2. Actus tamen ex potestate delegata quae exercetur pro solo foro interno, per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto numero casuum, validus est.

Can. 75 (CS 151)

Potestas regiminis exsecutiva non suspenditur interposito recursu, nisi aliter iure communi expresse caveatur.

Can. 76 (CS 152)

In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia, pro foro tam externo quam interno, potestatem regiminis exsecutivam.

Can. 77 (CS 153)

Praescripta canonum de potestate regiminis exsecutiva, nisi natura rei aut textus contextusque legis obstet, serventur de omni ecclesiastica potestate publica.

TITULUS XXII

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Can. 78 (PA 232, 233)

Ecclesia in procurando bono hominum spirituali, rebus temporalibus eget et utitur, quantum propria eius missio id postulat; quare ipsi ius competit nativum acquirendi, retinendi, administrandi atque alienandi ea bona temporalia quae ad fines sibi proprios, praesertim ad cultum divinum ordinandum, ad honestam ministrorum sustentationem necnon ad opera apostolatus et caritatis exercenda, requiruntur.

Can. 79 (PA 236, 257)

Dominium omnium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet iuridicam personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.

Can. 80 (PA 232, 234)

§ 1. Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi, administrandi et alienandi ad norman iuris canonici est quaevis persona iuridica in Ecclesia.

§ 2. Bona temporalia omnia quae in Ecclesia ad personas iuridicas pertinentent sunt bona ecclesiastica.

Caput I

De bonis ecclesiasticis acquirendis

Can. 81 (PA 236)

Personae iuridicae in Ecclesia acquirere bona temporalia possunt omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi quibus id aliis licet.

Can. 82 (PA 239)

§ 1. Auctoritatis ecclesiasticae competentis ius est exigendi a christifidelibus quae ad fines Ecclesiae proprios sint necessaria.

§ 2. Christifideles obligatione tenentur contribuendi ut Ecclesia fines suos assequi possit.

Can. 83 (PA 244)

§ 1. Ius est Hierarchae loci, de consensu Consilii administrationis, tributa imponendi personis iuridicis, quatenus necessaria sint ad bonum eparchiae.

§ 2. Tributa vero personis physicis Hierarcha ne imponat, nisi ad normas a Synodo Episcoporum vel Consilio Hierarcharum statutas.

Can. 84 (PA 245)

§ 1. Nisi aliud iure cautum sit, praefinire taxas pro variis actibus potestatis regiminis non iudicialis aut oblationes occasione celebrationis divinae Liturgiae coeterorumve officiorum divinorum vel Sacramentorum, est loci Hierarchae intra limites a Synodo Episcoporum vel Consilio Hierarcharum statutos.

§ 2. Curent Hierarchae diversorum rituum in eodem territorio potestatem regiminis exercentes ut, collatis consiliis, eadem regula taxarum aut oblationum pro omnibus statuatur.

Can. 85

In omnibus ecclesiis proprii ritus quae de facto habitualiter christifidelibus pateant Hierarcha loci praecipere potest ut collectae fiant pro determinatis inceptis Ecclesiae.

Can. 86 (PA 240; 171-173)

Stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine, personae physicae vel iuridicae possunt, dummodo accedat licentia Hierarchae proprii atque licentia, in scriptis data, Hierarchae loci ubi stips cogitur.

Can. 87 (PA 286)

§ 1. Nisi contrarium constet, oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae iuridicae ecclesiasticae factae, praesumuntur ipsi personae iuridicae datae.

§ 2. Hae oblationes repudiari nequeunt, nisi iusta de causa et, in rebus maioris momenti, de licentia Hierarchae; eiusdem Hierarchae licentia requiritur ut acceptentur quae onere modali vel conditione gravantur, firmo canone 110.

§ 3. Oblationes ad certum finem factae nonnisi ad eundem finem destinari possunt.

Can. 88 (PA 246)

Praescriptionem tamquam acquirendi et se liberandi modum Ecclesia pro bonis temporalibus recipit, ad normam canonum 177, 178 et 179.

Can. 89 (PA 248)

Res sacrae, quae scilicet dedicatione vel benedictione ad cultum divinum destinatae sunt, si in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, sed eas adhibere ad usus profanos non licet, nisi dedicationem vel benedictionem amiserint; si vero ad personam iuridicam ecclesiasticam pertinent, tantum ab alia persona iuridica ecclesiastica acquiri possunt.

Can. 90 (PA 249)

Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur; quae ad ipsam Ecclesiam patriarchalem aut aliam Ecclesiam sui iuris vel eparchiam spatio quinquaginta annorum; quae vero ad aliam personam iuridicam ecclesiasticam, triginta annorum.

Can. 91 (PA 256)

§ 1. Omnes superiores ecclesiastici gravi tenentur obligatione curandi ut bona temporalia Ecclesiae acquisita, nomine personae iuridicae ad quam

pertinent inscribantur, servatis omnibus legis civilis praescriptis quae ius Ecclesiae in tuto ponant.

§ 2. Quod si lege civili non concedatur, ut bona nomine personae iuridicae inscribantur, iisdem superiores curent ut, auditis viris in iure civili peritis et consilio administrationis, Ecclesiae ius, adhibitis modis civili iure validis, illaesum maneat.

§ 3. Praescriptum §§ 1 et 2 servetur etiam quod attinet ad bona a persona iuridica legitime possessa, quorum acquisitio instrumentis nondum sit firmata.

§ 4. Superiores ecclesiastici gradus immediate altioris gravi obligatione tenentur urgendi observantiam praescriptorum praecedentium paragraphorum.

Can. 92

§ 1. Advigilet Synodus Episcoporum vel Consilium Hierarcharum, iuxta normas ab ipso conditas, ut in singulis eparchiis habeatur speciale institutum quod bona vel oblationes colligat eum in finem ut honestae necnon fundamentaliter aequali sustentationi omnium clericorum, qui in populi Dei servitium munere funguntur, apte provideatur.

§ 2. In locis ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curet Synodus Episcoporum vel Consilium Hierarcharum pro sua cuiusque Ecclesia ut habeantur instituta quibus, sub vigilantia Hierarchae, securitati sociali clericorum satis provideatur.

§ 3. In singulis eparchiis vel regionibus, modis a Synodo Episcoporum vel Consilio Hierarcharum definitis, laicorum etiam opera adhibita, constituatur, quantum fieri possit, massa communis qua valeant Episcopi obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque eparchiae necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant eparchiae divitiores adiuvare pauperiores.

Caput II

De bonis ecclesiasticis administrandis

Can. 93 (PA 261)

§ 1. Loci Hierarchae est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sint nec ex eius potestate regiminis fuerint subducta, salvis legitimis praescriptis, quae eidem potiora iura tribuant.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Hierarchae, opportune editis peculiaribus instructionibus, intra fines iuris communis vel particularis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum curent.

Can. 94 (PA 264)

Administratio bonorum ecclesiasticorum personae iuridicae penes eum est, qui immediate regit personam ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare, statuta aut legitima consuetudo.

Can. 95 (PA 266)

In administrationem bonorum ecclesiasticorum personae iuridicae quae ex iure vel tabulis fundationis aut propriis statutis suos non habent administratores, ipse Hierarcha assumat personas idoneas.

Can. 96 (PA 276)

§ 1. Hierarchae est, postquam Consilium administrationis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive communis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum excedant.

§ 2. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Hierarcha facultatem scripto dandam impetraverint.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, persona iuridica non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis.

Can. 97 (PA 267)

§ 1. Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum suum officium ineant debent:

1° coram Hierarcha vel eius delegato promissionem facere se proprium officium fideliter adimpleturos;

2° accuratum inventarium, recte ab Hierarcha recognitum, de bonis eorum administrationi commissis subscribere.

§ 2. Inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat.

Can. 98 (PA 268)

Superiores ecclesiastici debent curare ut bonorum temporalium administratores opportunas praestent cautiones iure civili validas, ne iisdem administratoribus morientibus vel a munere cessantibus Ecclesia detrimentum capiat.

Can. 99 (PA 269)

§ 1. Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patris familias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde praecipue debent:

1° vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant, initis in hunc finem,, quatenus opus sit, contractibus adsecurationis;

2° praescripta servare iuris tum canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint, praesertim cavere ne ex legum civilium inobservantia damnum Ecclesiae obveniat;

3° reditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque tuto servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impendere;

4° foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem opportune reddendam curare;

5° pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Hierarchae, in fines Ecclesiae vel instituti collocare;

6° accepti et expensi libros bene ordinatos habere;

7° rationem administrationis exeunte unoquoque anno componere;

8° documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae aut instituti in bona nituntur, rite ordinare et in archivo convenienti et apto custodire, authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo Curiae deponere.

§ 3. Praevisiones accepti et expensi ut ab administratoribus quotannis componantur enixe commendatur; iuri autem particulari relinquitur eas praecipere et pressius determinare modos quibus exhibendae sint.

Can. 100 (PA 285)

Administratores bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent donationes, praeterquam moderatas secundum legitimam loci consuetudinem, ne faciant, nisi iusta interveniente causa remunerationis aut pietatis aut christianae caritatis.

Can. 101 (PA 272)

Administratores bonorum:

1° in operarum locatione leges etiam civiles, quae ad laborem et vitam socialem attinent, adamussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita;

2° iis, qui operam ex condicto praestant, iustam et honestam mercedem tribuant ita ut eisdem facultates praebeantur suam suorumque vitam religiosam, familiarem, socialem, culturalem adaequate colendi.

Can. 102 (PA 273)

§ 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam clerici quam laici quorumvis bonorum ecclesiasticorum singulis annis officio tenentur rationes administrationis proprio Hierarchae exhibendi.

§ 2. De bonis, quae Ecclesiae offeruntur, administratores, nisi iudicio Hierarchae loci ex eo damnum Ecclesiae obveniat, rationem publice reddant iuxta modum iure particulari statutum.

Can. 103 (PA 275)

Administratores litem nomine personae iuridicae ne inchoent neve contestentur in foro civili, nisi licentiam scripto datam Hierarchae proprii obtinuerint.

Can. 104 (PA 277)

Quamvis ad administrationem non teneantur titulo officii ecclesiastici, administratores munus susceptum arbitratu suo dimittere nequeunt; quod si ex arbitraria dimissione damnum Ecclesiae obveniat, ad restitutionem tenentur.

Caput III

De contractibus, praesertim de alienationibus

Can. 105 (PA 278)

Quae ius civile territorii ubi contractus initur statuit de contractibus, tam in genere, quam in specie, et de solutionibus, eadem iure canonico in re quae potestati Ecclesiae subest iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur et firmo canone 81.

Can. 106 (PA 279)

§ 1. Ad alienanda bona quae personae iuridicae ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur:

1° iusta causa veluti urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas, bonum pastorale;

2° aestimatio rei alienandae a peritis scripto facta;

3° licentia legitimi superioris, scripto data, sine qua alienatio non tantum illicita sed etiam invalida est.

§ 2. Aliae quoque cautelae a legitimo superiore praescriptae serventur ut Ecclesiae damnum vitetur.

Can. 107 (PA 281)

§ 1. Legitimus superior de quo in canone 106 § 1 n. 3 est loci Hierarcha qui audire tenetur Consilium a rebus oeconomicis.

§ 2. Si tamen agatur de rebus quarum valor summam a Synodo Episcoporum statutam excedit sed non duplo vel de rebus ex voto Ecclesiae donatis vel de rebus pretiosis, consensus loci Hierarchae ut valeat prius confirmari debet a Patriarcha de consensu Synodi permanentis; si vero de summa agatur quae duplo excedit illam a Synodo Episcoporum statutam, Patriarcha ad confirmationem concedendam indiget consensu ipsius Synodi. In ceteris Ecclesiis servandae sunt hisce in casibus normae a Sede Apostolica statutae.

§ 3. Si res alienanda sit divisibilis, in petendo consensu vel confirmatione exprimi debent partes antea alienatae; secus consensus irritus est.

§ 4. Ii qui in alienandis bonis ecclesiasticis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebeant consilium vel consensum nisi prius exacte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae iuridicae cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis.

Can. 108 (PA 282)

§ 1. Ad alienationes ex parte Patriarchae quod attinet, sive eae bona ipsius Ecclesiae patriarchalis sive bona eparchiae Patriarchae propriae respiciunt, Patriarcha indiget:

1° consensu Synodi Episcoporum si valor bonorum duplo excedat summam ab ipsa Synodo statutam;

2° consensu Synodi permanentis, si valor bonorum illam summam excedit quidem sed non duplo aut de rebus pretiosis vel ex voto Ecclesiae donatis agatur.

§ 2. In ceteris alienationibus bonorum ad Ecclesiam patriarchalem pertinentium Patriarcha Synodum permanentem audire debet, si vero nonnisi de bonis eparchiae Patriarchae propriae agatur consensus Collegii consultorum eparchialium obtinendus est, audito prius Consilio a rebus oeconomicis.

§ 3. Ad alienationes ex parte Hierarchae loci, intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis siti, quod attinet, Hierarcha, nisi ius particulare a Synodo Episcoporum statutum aliud caveat, indiget:

1° licentia Patriarchae, de consensu Synodi Episcoporum concessa, si agatur de bonis quorum valor duplo excedat summam ab ipsa Synodo Episcoporum statutam;

2° licentia Patriarchae, de consensu Synodi permanentis concessa, si valor bonorum excedit quidem summam a Synodo Episcoporum statutam, sed non duplo, aut de rebus pretiosis vel ex voto Ecclesiae donatis agatur;

3° consensu Collegii consultorum eparchialium, audito prius Consilio a rebus oeconomicis, si de ceteris bonis agatur.

§ 4. In Ecclesiis non patriarchalibus ac in eparchiis extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis sitis, requiritur licentia Sedis Apostolicae si de alienationibus bonorum quorum valor summam excedit ab ipsa Sede Apostolica statutam aut de rebus pretiosis vel ex voto Ecclesiae donatis agatur; secus vero consensus Collegii consultorum eparchialium, audito prius Consilio a rebus oeconomicis.

Can. 109

Pro quacumque alienatione requiritur consensus eorum quorum interest.

Can. 110 (PA 283, 287, 288, 291, 292)

Solemnitates ad normas canonum 107 et 108 requiruntur non solum in alienatione sed etiam in locatione, emphyteusi, oppignoratione, hypotheca ac in quolibet negotio quo conditio patrimonialis iuridicae personae de qua agitur peior fieri possit.

Can. 111 (PA 284)

Si quando bona ecclesiastica sine debitis quidem sollemnitatibus canonicis alienata fuerint, sed alienatio sit civiliter valida, Hierarchae, immediate superioris illius qui talem alienationem peregerit, est decernere omnibus mature perpensis, an et qualis actio, a quonam et contra quemnam instituenda est ad Ecclesiae iura vindicanda.

Can. 112 (PA 290)

Nisi res sit minimi momenti, bona ecclesiastica propriis administratoribus corumque coniunctis usque ad quartum gradum inclusive consanguinitatis aut affinitatis non sunt vendenda aut locanda sine speciali competentis Superioris de quo in canone 107 licentia, scripto data.

Caput IV

De piis voluntatibus et piis fundationibus

Can. 113 (PA 251)

§ 1. Qui ex iure naturae et canonico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere.

§ 2. In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur de gravi obligatione qua tenentur adimplendi testatoris voluntatem.

Can. 114 (PA 252)

Voluntates fidelium bona sua in pias causas donantium vel relinquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, legitime acceptatae, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto canonis 115 § 3.

Can. 115 (PA 253)

§ 1. Hierarchae omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos exsecutores sunt.

§ 2. Hoc ex iure Hierarchae vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii exsecutores delegati debent, perfuncti munere illis rationem reddere.

§ 3. Clausulae huic Hierarcharum iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tamquam non appositae habeantur.

Can. 116 (PA 254)

§ 1. Qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Hierarcham proprium certiorem facere, eique omnia istiusmodi bona cum oneribus adiunctis indi-

care; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet.

§ 2. Hierarcha debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare ut pia voluntas ad effectum ducatur ad normam canonis 115.

§ 3. Bonis fiduciariis alicui monacho vel alio Instituti vitae consecratae sodali commissis, si quidem bona sint destinata loci seu eparchiae ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Hierarcha de quo in §§ 1 et 2 est loci Hierarcha.

Can. 117 (PA 294)

§ 1. Nomine piarum fundationum in iure veniunt:

1° *piae fundationes autonomae,* scilicet rerum complexus ad opera pietatis, apostolatus vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinati et a competenti auctoritate ecclesiastica in personam iuridicam erecti;

2° *piae fundationes non autonomae,* scilicet bona temporalia alicui personae iuridicae in Ecclesia quoquo modo data cum onere in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex reditibus annuis fines de quibus in n. 1 persequendi.

§ 2. Bona piae fundationis non autonomae debent expleto tempore, ad institutum de quo in can. 92 § 1 destinari, nisi alia fuerit fundatoris voluntas expresse manifestata aut bona concredita fuerint monasterio vel alio Instituto vitae consecratae.

Can. 118 (PA 295, 296, 300)

§ 1. Piae fundationes autonomae nonnisi a Hierarcha loci erigi possunt.

§ 2. Ut pia fundatio non autonoma a persona iuridica valide acceptari possit, requiritur licentia Hierarchae proprii in scriptis data; qui eam ne praebeat antequam legitime compererit personam iuridicam tum novo oneri suscipiendo tum iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat, ut reditus omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem Ecclesiae proprii ritus.

§ 3. Iuris particularis est definire ceteras conditiones sine quibus piae fundationes erigi vel acceptari nequeunt.

Can. 119 (PA 297)

Hierarcha qui piam fundationem erexit vel licentiam ad piam fundationem acceptandam dedit, statim tutum locum designet in quo pecunia et bona mobilia, donationis nomine assignata, deponantur eum in finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Hierarchae iudicium, audi-

tis et iis quorum res interest et proprio a rebus oeconomicis Consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expresse et nominatim determinata mentione oneris.

Can. 120 (PA 298)

Tabularum fundationis exemplar alterum in Curiae archivo, alterum in archivo personae iuridicae tuto asservetur.

Can. 121 (PA 299)

§ 1. Servatis praescriptis canonum 114-116 et 102, onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem ecclesiae vel instituti in loco tuto servetur.

§ 2. Liber habeatur et apud rectorem servetur, in quo singula onera eorumque impletio et eleemosynae adnotentur.

Can. 122 (PA 301)

§ 1. Reductio onerum divinam Liturgiam celebrandi reservatur Sedi Apostolicae vel, in Ecclesiis patriarchalibus, Patriarchae ex consensu Synodi Episcoporum, certiore facta Sede Apostolica.

§ 2. Si in tabulis fundationum id expresse caveatur, Hierarcha ob imminutos reditus onera divinam Liturgiam celebrandi reducere valet.

§ 3. Hierarchae loci competit facultas reducendi ob diminutionem redituum, quamdiu causa perduret, ad rationem oblationum in eparchia legitime vigentium, numerum celebrationum divinae Liturgiae, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad oblationum augmentum faciendum.

§ 4. Eidem competit facultas reducendi onera divinam Liturgiam celebrandi quae instituta ecclesiastica gravant, si reditus ad ea, quae ex iisdem tempore acceptationis onerum obtineri potuerunt, consequenda insufficientes evaserint.

§ 5. Iisdem facultatibus de quibus in §§ 3 et 4 gaudent Superiores Generales clericalium Institutorum vitae consecratae.

§ 6. Facultates de quibus in §§ 3 et 4 Hierarcha loci delegare potest tantummodo Coadiutori, Auxiliari, Protosyncello et Syncello, omni subdelegatione exclusa.

Can. 123

Iisdem auctoritatibus de quibus in canone 122 facultas insuper competit transferendi, congrua de causa, onera divinam Liturgiam celebrandi in dies, vel instituta diversa ab illis, quae in fundationibus sunt statuta.

Can. 124 (PA 255)

§ 1. Fidelium voluntatum in pias causas reductio, moderatio, commutatio, si fundator potestatem hanc Hierarchae expresse concesserit, potest ab eodem fieri ex iusta tantum et necessaria causa.

§ 2. Si exsecutio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam nulla administratorum culpa impossibilis evaserit, Hierarcha, auditis iis quorum interest et proprio Consilio a rebus oeconomicis atque servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, excepta reductione celebrationum divinae Liturgiae, quae praescriptis canonis 122 regitur.

§ 3. In ceteris casibus recurrendum est ad Sedem Apostolicam vel in Ecclesiis patriarchalibus, ad Patriarcham, qui de consensu Synodi permanentis agere debet.

Titulus XXIX

DE LEGE, CONSUETUDINE, ACTIBUS ADMINISTRATIVIS PRAESCRIPTIONE ATQUE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Caput I

De legibus ecclesiasticis

Can. 125

Leges instituuntur cum promulgantur.

Can. 126

§ 1. Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui Actorum numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut brevior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

§ 2. Leges ab aliis legislatoribus latae promulgantur, salvo iure communi, modo ab ipsis his legislatoribus determinato et obligare incipiunt a die ab iisdem statuto.

Can. 127

Legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati pro quibus latae sunt, quique sufficienti rationis usu gaudent, et, nisi aliud iure expresse caveatur, qui septimum aetatis annum expleverunt.

Can. 128

§ 1. Legibus a Suprema Auctoritate Ecclesiae universalis latis tenentur omnes pro quibus datae sunt ubique terrarum, nisi pro peculiari territorio conditae sunt; caeterae leges vim habent tantummodo in territorio in quo auctoritas a qua leges promulgatae sunt potestatem regiminis exercet, nisi ex natura rei vel ex iure aliud constet.

§ 2. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur.

§ 3. Peregrini:

1° non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2° neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, aut actuum solemnia determinant, aut res immobiles in territorio sitas respiciunt.

§ 4. Vagi obligantur omnibus legibus quae vigent in loco in quo versantur.

Can. 129 (PA 317)

§ 1. Nomine *iuris particularis* veniunt in hoc Codice omnes consuetudines, leges, statuta et similia, quae nec Ecclesiae universali nec omnibus Ecclesiis orientalibus communes sunt.

§ 2. Nomine vero *iuris communis* veniunt leges et consuetudines Ecclesiae universalis aut omnium Ecclesiarum orientalium communes.

Can. 130 *

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

---

* Canon 6 « textuum initialium » in *Nuntia* 2, p. 66, publici iuris factus, omissus est sequenti suffragatione: 6 placet omissio, 4 non placet, 2 abstinent. Cf. Praenotanda p. 9.

Can. 131

Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse caveatur.

Can. 132

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Hierarchae, nisi agatur de dispensatione quam Suprema Auctoritas sibi aut alii auctoritati reservaverit.

Can. 133

§ 1. Ignorantia vel error circa leges irritantes vel inhabilitantes earundem effectum non impediunt, nisi aliud expresse statuatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

Can. 134

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator eiusque successor et is cui potestas authentice interpretandi fuerit ab eodem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica per modum legis exhibita eandem vim habet ac lex ipsa et promulgari debet: et si verba legis in se certa declaret tantum, valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut actus administrativi in re peculiari vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus lata est.

Can. 135

Leges intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam, quae si dubia et obscura manserit, ad locos huius Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris, est recurrendum.

Can. 136

Leges quae poenam statuunt aut liberum iurium exercitium coarctant aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Can. 137

Si certa de re desit expressum praescriptum legis, causa, nisi sit poenalis, dirimenda est secundum consuetudinem legitime inductam, canones Synodorum ac sanctorum Patrum, generalia principia iuris canonici cum aequitate canonica servata, iurisprudentiam ecclesiasticam, communem constantemque doctorum sententiam.

Can. 138

Lex posterior abrogat priorem aut eidem derogat, si id expresse edicat aut si illi sit directe contraria aut totam de integro ordinet legis prioris materiam, sed lex generalis minime derogat iuri particulari, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

Can. 139

In dubio revocatio legis praeexsistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

Can. 140

Leges civiles ad quas ius Ecclesiae remittit in iure canonico iisdem cum effectibus serventur, quatenus iuri divino non sint contrariae et nisi aliud iure canonico caveatur.

Can. 141 (PA 318)

Pronuntiatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum porrigitur, nisi ex natura rei vel ex legis textu contextuque aliud constet.

Caput II

De consuetudine

Can. 142

§ 1. Consuetudo communitatis christianae quatenus actuositati Spiritus Sancti in corpore ecclesiali respondet, normam iuridicam constituit iuxta canones qui sequuntur.

§ 2. Eae tantum consuetudines vim iuris in Ecclesia obtinent quae conditiones implent ad normam canonum qui sequuntur, nisi competens legi-

slator, consensu suo saltem tacito, eas ante tempus de quo in canone 144 § 2 adprobaverit.

Can. 143

§ 1. Nulla consuetudo vim iuris habere potest nisi sit rationabilis et a communitate, legis saltem recipiendae capaci, praxi continua et pacifica, inducta necnon per tempus a iure stututum praescripta.

§ 2. Consuetudo quae a iure expresse reprobatur non est rationabilis.

Can. 144

§ 1. Iuri divino, sive naturali sive positivo, nulla consuetudo potest ullo modo derogare.

§ 2. Consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut quae est praeter legem canonicam, vim iuris obtinet tantum, si legitime per annos viginti continuos et completos servata fuerit: contra legem vero canonicam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem sola praevalere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

Can. 145

Consuetudo est optima legum interpres.

Can. 146

§ 1. Firmo praescripto canonis NN* schematis « De constitutione hierarchica Ecclesiarum Orientalium », consuetudo quae vim iuris obtinuit cessat eodem modo ac ipsa lex.

§ 2. Nisi expressam de iisdem mentionem fecerit, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares.

Caput III

De actibus administrativis

Can. 147

§ 1. Actus administrativi, de quibus in hac sectione, elici possunt ab iis qui potestate regiminis exsecutiva gaudent, intra limites suae competentiae,

* Remissio fit ad canonem recognitum, cuius « textus initialis » in *Nuntia* 2, p. 55 (can. 6) inveniri potest (cfr. etiam C.I.C. can. 5).

necnon ab illis quibus haec potestas explicite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis.

§ 2. Actus administrativi sunt praesertim:

1° decreta quibus pro casu particulari datur decisio aut canonica fit provisio;

2° praeceptum singulare seu decretum quo personae aut personis determinatis aliquid faciendum aut omittendum directe et legitime imponitur, praesertim ad legis observantiam urgendam;

3° rescripta quibus conceditur privilegium, dispensatio seu legis in casu particulari relaxatio, licentia aliave gratia.

Can. 148

Effectum habet actus administrativus a momento quo personae, auctoritate ipsius decernentis vel praecipientis, intimatur vel, in rescriptis, a momento quo datae sunt litterae; si vero actus administrativi applicatio committitur exsecutori, effectum habet a momento exsecutionis.

Can. 149

§ 1. Actus administrativus quicumque intelligendus est secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debet ad alios casus praeter expressos extendi.

§ 2. In dubio actus administrativus qui ad lites refertur, ad poenas comminandas infligendasve attinet, iura personae coarctat, iura aliis quaesita laedit aut adversatur legi in commodum privatorum, strictam recipit interpretationem; secus vero latam.

§ 3. In privilegiis ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur.

§ 4. Non solum dispensatio sed ipsamet facultas dispensandi ad certum casum concessa stricte subest interpretationi.

Can. 150

§ 1. Per legem contrariam nullus actus administrativus revocatur, nisi aliud in ipsa lege caveatur aut lex lata sit ab auctoritate ipsi qui actum administrativum emisit superiore.

§ 2. Actus administrativus non cessat resoluto iure statuentis, nisi aliud expresse caveatur.

§ 3. Revocatio actus administrativi per alium actum administrativum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo legitime significetur personae pro qua datus est.

§ 4. Dispensatio quae tractum habet successivum cessat quoque certa ac totali cessatione causae motivae.

§ 5. Decretum praeceptumve singulare vim habere desinit etiam cessante lege ad cuius exsecutionem datum est; praeceptum singulare cessat etiam resoluto iure praecipientis nisi legitimo documento impositum fuerit.

Can. 151

Actus administrativus qui forum externum respicit scripto est consignandus; item, si fit in forma commissoria, illius actus exsecutionis.

Can. 152

Actus administrativus, etiam si agitur de rescripto motu proprio dato, effectu caret quatenus ius alteri quaesitum laedit aut legi consuetudinive probatae contrarium est, nisi auctoritas competens expresse clausulam derogatoriam addiderit.

Can. 153

Conditiones in actibus administrativis tunc tantum ad validitatem censentur adiectae, cum per particulas, *si, nisi, dummodo,* vel aliam eiusdem significationis, exprimuntur.

ART. I - *De procedura in decretis extra iudicium ferendis*

Can. 154

§ 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior necessarias notitias et probationes exquirat; in iure audiendos vel consulendos audiat vel consulat; eos quos directe decretum attingit ac praesertim quorum iura laedi possunt audiat.

§ 2. Petitori et etiam legitime contradicenti, superior notitias et probationes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possunt, et rationes forte contrarias ostendat,, data eis facultate respondendi, etiam per patronum, intra terminum ab ipso superiore determinatum.

Can. 155

Recepta petitione ad decretum obtinendum, superior decretum intra sexaginta dies ferat, nisi lex particularis breviores vel longiores terminos statuit; quod si superior non fecerit, et petitor scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad superiorem pervenit, petitio pro reiecta habetur tamquam si eo die per decretum reiectio prolata sit, ita ut recursus adversus eam proponi possint.

Can. 156

§ 1. Qui decretum fert, id prae oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege et generali et particulari, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis; quod si forte periculum publici vel privati damni obstet ne motiva patefiant, haec in libro secreto exprimantur, atque ei qui de recursu forte adversus decretum proposito videbit, ostendantur, si ipse petat.

Can. 157

§ 1. Decretum statim vim iuris habet, postquam ei, ad quem destinatur, notificatum est, modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit.

§ 2. Si periculum publici vel privati damni obstet ne scriptus decreti textus tradatur, potest superior iubere ut decretum ei ad quem destinatur coram duobus testibus, vel coram notario ecclesiastico, legatur, processu verbali redacto, ab omnibus praesentibus subscribendo.

§ 3. Si autem is, ad quem decretum destinatur, notificationes recusaverit, vel, rite vocatus ad decretum accipiendum vel audiendum, sine iusta causa, a decreti auctore perpendenda, non comparuerit vel scribere recusaverit, vel, rite vocatus ad decretum accipiendum vel audiendum, sine iusta causa, a decreti auctore perpendenda, non comparuerit vel scribere recusaverit, decretum pro intimato habetur.

ART. II - *De exsecutione actuum administrativorum*

Can. 158

Exsecutor alicuius actus administrativi invalide suo munere fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum auctoritate eundem actum edentis transmissa fuerit.

Can. 159

§ 1. Exsecutor actus administrativi cui committitur merum exsecutionis ministerium, exsecutionem huius actus denegare non potest, nisi manifesto appareat eundem actum esse nullum aut alia ex gravi causa sustineri non posse aut conditiones in ipso actu administrativo appositas non esse adimpletas; si tamen actus administrativi exsecutio adiunctorum personae aut loci ratione videatur inopportuna, exsecutor exsecutionem intermittat, quibus vero in casibus statim certiorem faciat auctoritatem quae actum edidit.

§ 2. Si in rescripto ipsa concessio gratiae exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia, eam concedere vel denegare.

Can. 160

Exsecutor actus administrativi procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.

Can. 161

Actus administrativi exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

Can. 162

Actus administrativus exsecutioni mandari potest etiam ab exsecutoris successore in officio, nisi fuerit electa industria personae.

Can. 163

Exsecutori fas est, si quoquo modo in actus administrativi exsecutione erraverit, eundem iterum exsecutioni mandare.

ART. III - *De rescriptis*

Can. 164

§ 1. Gratia ab auctoritate superiore denegata nequit ab auctoritate competenti inferiore valide concedi, nisi auctoritas superior expresse consentiat.

§ 2. Gratia ab aliqua auctoritate denegata nequit valide ab alia aeque competenti aut superiore concedi nulla facta in petitione denegationis mentione.

Can. 165

§ 1. Quae in canonibus de rescriptis statuuntur, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

§ 2. Gratiam oretenus concessam quis probare tenetur quoties id legitime ab eo petatur.

Can. 166

Rescriptum impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

Can. 167

§ 1. Reticentia veri in precibus non obstat quominus rescriptum vim habeat, dummodo expressa fuerint quae ad validitatem sunt exprimenda ad normas curiae Hierarchae qui rescriptum concedit.

§ 2. Nec obstat expositio falsi dummodo una saltem causa motiva proposita sit vera.

1) De privilegiis

Can. 168

§ 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.

§ 2. Privilegium cessat:

1° si est personale cum persona cui concessum est extinguitur;

2° si est reale vel locale per absolutum rei vel loci interitum;

3° elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus concessum est;

4° si temporis progressu rerum adiuncta ita, iudicio auctoritatis competentis, immutentur ut noxium evaserit aut eius usus illicitus fiat.

§ 3. Privilegium locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

Can. 169

§ 1. Nullum privilegium per renuntiationem cessat nisi haec a competenti auctoritate fuerit acceptata.

§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concesso quaevis persona privata renuntiare potest.

§ 3. Privilegio concesso alicui personae iuridicae, aut ratione dignitatis loci vel rei, privatae personae valide renuntiare non possunt.

§ 4. Nec ipsi personae iuridicae integrum est privilegio sibi concesso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

Can. 170

Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis haud onerosum non cessat; quod vero in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedat legitima praescriptio aut tacita renuntiatio.

Can. 171

Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

Can. 172

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio data a Hierarcha moneatur; graviter abutentem ac frustra monitum Hierarcha privet privilegio quod ipse concessit; quod si privilegium concessum fuerit ab auctoritate Hierarchae superiori, eandem Hierarcha certiorem facere tenetur.

2) De dispensationibus

Can. 173

§ 1. A lege ecclesiastica ne dispensetur sine iusta ac rationabili causa, habita ratione adiunctorum casus et gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio illicita et, nisi ab ipso legislatore eiusve Superiore data sit, etiam invalida est.

§ 2. Bonum spirituale fidelium est iusta et rationabilis causa.

§ 3. In dubio de sufficientia causae dispensatio licite et valide conceditur.

Can. 174

Dispensationi obnoxiae non sunt leges quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva.

Can. 175

§ 1. Hierarcha loci dispensare valet tum in legibus Ecclesiis Orientalibus communibus quam in ceteris legibus in suo territorio vigentibus in casu particulari christifideles in quos ad normam iuris exercet auctoritatem, quoties id ad eorum bonum spirituale conferre iudicet, nisi ab auctoritate quae leges tulit specialis reservatio facta fuerit.

§ 2. Si difficilis sit recursus ad auctoritatem cui dispensatio reservata est et simul in mora sit periculum gravis damni, Hierarcha quicumque in casu particulari dispensare valet christifideles in quos ad normam iuris potestatem exercet, dummodo tamen agatur de dispensatione quam eadem auctoritas in iisdem adiunctis concedit.

§ 3. Quae supra dicuntur applicantur etiam Protosyncello et Syncello, nisi Hierarcha loci expresse renuerit.

Can. 176

Qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet, etiam extra territorium exsistens, in subditos, licet ex territorio absentes, atque, nisi contrarium expresse statuatur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes.

Caput IV

De praescriptione

Can. 177 (PA 246)

Praescriptionem, tanquam iuris subiectivi acquirendi vel amittendi necnon ab obligationibus sese liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia recipit, nisi aliud iure communi statuatur.

Can. 178 (PA 250)

Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio, sed toto decursu temporis ad praescriptionem requisiti.

Can. 179 (PA 247)

Praescriptioni obnoxia non sunt:

1° iura et obligationes quae sunt legis divinae naturalis aut positivae;

2° iura quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico;

3° iura et obligationes quae spiritualem christifidelium vitam directe respiciunt;

4° fines certi et indubii circumscriptionum ecclesiasticarum;

5° obligationes et onera celebrationem Liturgiarum respicientia;

6° provisio officii ecclesiastici quod ad normam iuris exercitium ordinis sacri requirit;

7° ius visitationis et obligatio oboedientiae, ita ut christifideles a nulla auctoritate ecclesiastica visitari possint et nulli auctoritati iam subsint.

Caput V

De temporis supputatione

Can. 180 (PA 321)

Nisi aliud expresse in iure caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

Can. 181 (PA 325)

§ 1. Tempus continuum intelligitur quod nullam patitur interruptionem.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut persequenti competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat.

Can. 182 (PA 324)

§ 1. In iure dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdomada spatium 7 dierum; mensis spatium 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus si tempus est continuum.

Can. 183 (PA 324)

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut aliud expresse in iure caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si terminus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut, si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

INDEX SCHEMATIS

Praenotanda		paginae	3-12
TITULUS XVIII	- *De personis et actibus iuridicis*		
Caput I	De personis		
Art. I	De personis physicis	*cann.*	1-7
Art. II	De personis iuridicis	»	8-19
Art. III	De praecedentia	»	20
Caput II	De actibus iuridicis	»	21-25
TITULUS XIX	- *De officiis ecclesiasticis*	»	26-27
Caput I	De provisione officiorum ecclesiasticorum	»	28-35
Art. I	De electione	»	36-48
Art. II	De postulatione	»	49-52
Caput II	De ammissione officii ecclesiastici	»	53
	1° De renuntiatione	»	54-56
	2° De translatione	»	57-58
	3° De amotione	»	59-62
	4° De privatione	»	63
TITULUS XX	- *De potestate regiminis*	»	64-77
TITULUS XXI	Alibi		
TITULUS XXII	- *De bonis Ecclesiae temporalibus*	»	78-80
Caput I	De bonis ecclesiasticis acquirendis	»	81-92
Caput II	De bonis ecclesiasticis administrandis	»	93-104
Caput III	De contractibus, praesertim de alienationibus	»	105-112
Caput IV	De piis voluntatibus et piis fundationibus	»	113-124

TITULI XXIII-XXVIII Alibi

TITULUS XXIX	- *De lege, consuetudine, actibus administrativis, praescriptione atque temporis supputatione*		
Caput I	De legibus ecclesiasticis . . .	*Cann*	125-141
Caput II	De consuetudine	»	142-146
Caput III	De actibus administrativis . . .	»	147-153
Art. I	De procedura in decretis extra iudicium ferendis	»	154-157
Art. II	De exsecutione actuum administrativorum	»	158-163
Art. III	De rescriptis	»	164-167
	1° De privilegiis	»	168-172
	2° De dispensationibus . . .	»	173-176
Caput IV	De praescriptione	»	177-179
Caput V	De temporis supputatione . . .	»	180-183

SCHEMA CANONUM DE SANCTIONIBUS POENALIBUS IN ECCLESIA

Praenotanda

« De delictis et poenis » sectio, prout anno 1948 a priore Commissione Codici Iuris Canonici Orientalis Redigendo apparata est, 241 canones continebat qui, ut in pluribus, a canonibus Codicis Iuris Canonici Latinae Ecclesiae haud differebant, quosdam canones si excipias qui numerum iammodo conspicuum poenalium canonum adaugebant. Sectio haec, in tabulario Commissionis relicta, numquam promulgata est. Initio vero praesentis Commissionis laborum huius sectionis schema, ex archivo desumptum, viritim Consultoribus Coetus a studiis « De delictis et poenis » sodalibus, distributum est, ac dein, anno 1977, in *Nuntia* 4 (pp. 97-127), velut de laboribus praedicti a studiis Coetus relationis necessarium complementum, publici iuris factum est.

De schemate annis 1974-1976, a consultoribus Commissionis Coetus a Studiis « de delictis et poenis » sodalibus confecto, ampla relatio, quae in *Nuntia* 4 (pp. 72-96) publici iuris facta est, suum valorem ut in pluribus servat. Quocirca tamen animadvertendum est schema hoc Coetui a studiis « Centrali », cuius examini in sessione mensis Februarii 1977 delatum est, in omnibus placuisse, uno canone excepto (can. 61 schematis, in *Nuntia* 4 hic est canon 60), qui denuo recognitus est. In sessione vero eiusdem Coetus a studiis mense Martio anno 1979 habita canon 36, in quo de effectibus excommunicationis maioris agitur, iterum ad limites traditioni orientali consonos redactus est.

Anno 1980 totum schema, rursus recognitioni, a duobus a studiis Coetibus «specialibus» mensibus Martio et Novembri convocatis, peregandae, delatum est. Nonnullae etiam maioris momenti canonum mutationes introductae sunt, de quibus perutiliter legi possunt ea quae in *Nuntia* 12 (pp. 37-76 et 77-84) publici iuris facta sunt.

In pagellis quae sequuntur potius quam ad singulos canones, numero nonnisi 62, animadversiones, quaedam maioris momenti proponuntur, quibus perlectis, ita spes est, melius intelligatur quam funditus supra memoratus « textus-initialis » recognitus sit atque insimul inspiciatur quomodo in schemate, quod hic proponitur, conficiendo, Consultores omni vi enisi sint, ut sive ius poenale ad hodiernas condiciones aptarent sive, ad substantialia quod attinet, avitas servarent orientis traditiones, quippe quae, in quibusdam quidem obsoletae sed numquam abrogatae, ad ius vigens orientalium omnium pertinerent.

Praeter probatam mentem Concilii Vaticani II, quod poenas canonicas non comminatur, atque praeter magis generalia principia quibus Codicis Iuris Canonici Orientalis recognitio regitur, ea praesertim quae in Allocutione Pauli P.P. VI ad sodales Commissionis, die 18 mensis Martii anni 1974 habita, continentur necnon ea quae a Plenario Commissionis Membrorum Coetu, eadem die inito, adprobata sunt, Consultores Commissionis in hoc apparando schemate, alia, ad ius poenale pressius spectantia, principia secuti sunt, quae sub sequentibus septem inscriptionibus summatim exponuntur.

1) *De charactere medicinali poenarum a Pastoribus Ecclesiae atque iudicibus praeprimis servando.*

Etsi vindicatio seu expiatio delicti ad essentiam omnis poenae legitimae pertinet — secus poena plane iniusta esset — haec tamen « vindicatio » in infligenda poena ab Ecclesiae pastoribus nonnisi eo sub respectu consideranda visa est ne quantitas poenae delicti gravitatem superet. In poenis irrogandis id unice intendant Pastores animarum, atque ipsi iudices, ut a delicto vulneratis medeatur ita ut nec delinquentes ad desperationis praecipitia impellantur, neque frena ad vitae dissolutionem et legis contemptum relaxentur. Haec perspicua canonis 1 verba, a Concilio Trullano (can. 102) deprompta, finem poenarum canonicarum extrinsecum medicinalem extollunt, atque totum schema in sua vera luce ponunt, imo ex integro permeant. Quantum haec cum orientalium traditionibus congruant eorumque menti consentanea sint, non solum ex praedicto Trullani Con-

cilii canone, qui praecipuus est canonis primi schematis fons praeter illa Apostoli Pauli verba (« argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina »: cf. II Tim. 4,2), sed etiam ex canonibus 74 et 84 Sancti Basilii Magni atque ex aliis canonicis orientalium fontibus (cf. textum conspicuum *Didascaliae Syriacae* in *Nuntia* 4, pp. 76-77) luculenter constat.

Si poenales considerantur canones, qui usque ad finem septimi saeculi in Oriente promulgati sunt, nullum dubium est quin, etsi in quibusdam obsoleti, ut plurimum, ad substantialia saltem quod attinet, suum valorem servent non solum apud Orthodoxas Ecclesias sed etiam apud Catholicas, cum ii numquam abrogati vel alio Codice substituti sint. Quapropter evenit ut Consultores Commissionis, cum quaedam magis substantialia ex antiquis canonibus desumpta in iure poenali ad hodiernas mundi condiciones aptato servanda proponant, nihil aliud faciant nisi *ius vigens* orientalium retineant. Ad hoc imprimis ii spectant canones qui eo tendunt ut misericordia Dei, qui omnem rationem init ut errantem ovem ad ovile reducat, in iis qui ab Eo solvendi et ligandi potestatem receperunt, in Episcopis nempe, tamquam iustitiae perfectio fulgeat.

Itaque, etsi quaedam poenae, « perpetuae » hucusque nuncupatae, e.g. degradatio vel depositio aliaeque bonorum iuriumque stabiles privationes, retinentur, eae tamen nonnisi veluti medicinae, non sontibus solummodo sed omnibus ex delicto vulneratis salutares, reputandae sunt. Sed haec poenae, ne veluti perpetuae quidem a Consultoribus Commissionis, plures post disceptationes, consideratae sunt, unde voces « poenae perpetuae » tandem in Coetu speciali (mensis Martii 1980) ex schemate expunctae sunt, quod etiam iis placitis consonum est, quae de remissione poenarum in canonibus 22-27 schematis proponuntur.

In huius sermonis contextu ad canonem 3 schematis animus convertatur. Hic canon, in duobus a studiis Coetibus « specialibus », anno 1980 coadunatis, exaratus, proponitur non tantummodo ut reus adducatur ad suum delictum Hierarchae proprio confitendum, sed etiam ut consectarium characteris medicinalis poenarum ecclesiasticarum. Hic enim character ita praevalens visus est, ut, etsi poena in iure obligatoria sit, Hierarchae permissio facta sit ab ea abstinendi certis sub condicionibus in canone definitis, quando scilicet omnia vulnera et damna ex delicto orta sanata sint. Notandum est, quae in hoc canone de Hierarcha dicuntur, ad ipsum iudicem quoddamodo applicari, processu poenali iam inito, attento canone 9 § 1 n. 2 schematis prout sequitur: « in poenis applicandis, etiamsi lex utatur verbis praeceptivis, iudex pro sua prudentia potest a poena irroganda abstinere vel poenam mitiorem irrogare, si reus emendatus sit et scandalum necnon damnum reparaverit... ».

Ad officium iudicum quod attinet, animadvertendum est, ipsorum prudentiali potestati, praeter plura alia, munus de circumstantiis delicti gravitatem minuentibus iudicandi in can. 16 committi. Hac in re Consultores Commissionis censent normas magis particulares in Codicem omnium Ecclesiarum Orientalium communem non esse inserendas, ita ut loci consuetudines, etiam iuris civilis, facilius recipi possint, praeter ea quae doctrina canonica de hisce rerum circumstantiis fert. Haec omnia, si reo favent, a iudice orientali, ad poenas morbis magis accomodatas applicandas adhiberi possunt.

2) *De poenis* latae sententiae *in ius orientalium non introducendis.*

Compertum est Synodum Episcoporum anno 1967 Romae coadunatam votum tulisse, ut in recognitione iuris poenalis Ecclesiae principium poenas canonicas reducendi teneretur, mente eiusdem Synodi manifesta ut poenae generatim essent ferendae sententiae atque ut in solo foro externo irrogarentur et remitterentur, poenis latae sententiae ad paucos casus reductis, imo ad perpauca eaque gravissima delicta (cf. *Communicationes* 1969 n. 2, pp.84-85). Plane, Synodus Episcoporum anni 1967 praeprimis Codicem Iuris Canonici Latinae Ecclesiae prae oculis habuit, cum pro Codice Orientali, ad poenas latae sententiae quod attinet, Plenarius Membrorum Commissionis Coetus, mense Martio 1974 coadunatus, hoc principium sequendum esse statuit: « In orientali Codice abolendae sunt omnes poenae latae sententiae, quia germanis orientalium traditionibus consonae non sunt, nec Orthodoxis Ecclesiis sunt notae, nec necessariae videntur ad Codicem orientalem huius aetatis condicionibus, ad Orientalium Ecclesiarum disciplinam quod attinet, aptandum » [1].

Hoc principio prae oculis habito atque, ut omne dubium in re amoveatur, denuo perpensis orientalibus fontibus, canon 8 schematis exaratus est, qui statuit poena reum non teneri « nisi postquam irrogata est, salvo iure Romani Pontificis vel Concilii Ecumenici poenas *latae sententiae* in Ecclesias Orientales introducendi ». Hoc in casu patet, normae magis generales de *latis sententiae poenis* alibi statutae ab orientalibus servandae erunt, quas tamen opportunum visum non est in ipso orientalium Codice enucleari.

---

[1] Cf. *Nuntia* 3, pag. 9 (italice), 17 (gallice), 24 (anglice).

3) *De momento monitionis canonicae poenae praeviae.*

Aliud principium a Plenario Membrorum Commissionis Coetu statutum hoc est: « Monitioni poenae canonicae praeviae, maius momentum tribuatur, iuxta priscos orientales canones [2].

Huic voto ut obsecundaretur, fontibus perpensis necnon charactere medicinali omnium poenarum prae oculis habito, canon 7 exaratus est, quo statuitur poenam irrogari non posse nisi delinquens antea semel saltem monitus fuerit ut a delicto desistat. Clausula tamen addita est, scilicet « si natura delicti id patitur ». Etenim patet monitionem canonicam poenae praeviam nonnisi in iis delictis possibilem esse quae quodammodo continuata sunt, quae tamen magis in particulari determinare in ipso Codice opportunum visum non est.

Attamen notandum est hac in re, ad quaedam delicta quod attinet, Consultoribus Commissionis visum est monitionem canonicam ad ipsam delicti speciem ita pertinere ut, antequam ea fiat, delictum canonicum reapse non habeatur. Ita, in canone 38, multas post disceptationes, proponitur ut haeresis, apostasia et schisma, etiamsi iam gravissima peccata, formalia delicta non considerentur antequam ille qui talia commiserit « a legitima auctoritate ecclesiastica admonitus non resipiscat ». Item, in canone 44, non ex quavis trasgressione oboedientiae proprio Hierarchae debitae delictum committitur, sed tantummodo quando inoboediens « post admonitionem in inoboedientia persistat ».

Quodsi consideretur monitio de qua in can. 6 § 2, qua scilicet Hierarcha legem non poenalem in casibus singularibus urget, quaeque praecepto poenali aequiparatur, notetur § 3 canonis 7, quo statuitur ut haec monitio, sufficiens sit ad poenam irrogandam, etiamsi delicti natura permittat novam monitionem post delictum reapse commissum.

4) *De poenis quibus opera poenitentiae imponuntur.*

Supposita notione poenae quatenus ea nonnisi « privatio alicuius boni » habeatur (C.I.C. can. 2215), incongruum videtur de poenis loqui quae actus positivos peragendos imponunt. Quodsi vero genuinae orientalium traditiones eorumque Sacrorum canonum collectiones inspiciantur ipsa haec exclusive negativa notio poenae menti orientalium incongrua apparet.

Hac in re Plenarius Membrorum Commissionis Coetus anno 1974 coadunatus votum expressit ut sedulo studio submitteretur notio poenae canoni-

---

[2] Cf. *Nuntia* 3, ibidem.

cae, quae, ut videtur, in genuina orientalium traditione, saepius impositionem operum poenitentiae secumferebat, quod characteri medicinali poenarum quae ab Ecclesiastica auctoritate imponuntur maxime congruit [3]. Ad hoc votum Plenarii Membrorum Commissionis Coetus quod attinet, notandum est, priscis Orientis fontibus diligenter pervestigatis, votum illud ex toto confirmatum esse. Quare consultores Commissionis ad hoc pervenerunt propositum, ne in Codice Orientali sermo fieret de « censuris », « poenis expiatoriis », « remediis poenalibus » et « poenitentiis », sed solummodo de duabus speciebus poenarum ecclesiasticarum ageretur, quarum prima, poena scilicet qua actus positivi imponuntur, maxime medicinalis consideranda est sive pro bono delinquentis sive pro scandali reparatione, etiamsi nonnisi illi imponi possit, qui ad eam luendam paratus est (can. 28 § 2). Haec summopere cum Orientalium canonicis collectionibus congruunt, hodiernis non exclusis, ubi canones in quibus « poenitentiae » pro delictis imponuntur (e.g. canones S. Basilii) simul cum canonibus in quibus privationes bonorum statuuntur (e.g. canones SS. Apostolorum) in unicum systema poenale congregati inveniuntur.

Patet exinde « systema poenitentiae publicae », externa opera eiusdem si consideres, hodiernis condicionibus christifidelium minus convenire, sed id quod in hoc systemate magis fundamentale est, poenitentiae nempe spiritum quo poena canonica luitur, hodie etiam, ut maxime efficax atque orientalibus magis comprehensibilis medicina omnino servandum esse.

Animadvertendum est, inspecta peculiari natura harum poenarum, in canone 13 proponi ut minores quoque, intra 14 et 18 aetatis annum, his poenis plecti possint, nisi iudex, in casibus exceptionalibus, aliter melius consuli posse censeat eorum emendationi.

5) *De processu poenae irrogandae praevio.*

Ad tuenda iura fundamentalia hominis, in canone 2 schematis proponitur ut quaelibet consuetudo poenas canonicas « via administrativa » impo-

---

[3] Textus italicus a Plenario Coetu Membrorum Commissionis adprobatus hic est (*Nuntia* 3, pp. 9-10): « Si propone di rivedere la nozione della punizione canonica in quanto *privatio alicuius boni*. Sembra che la punizione canonica potrebbe essere anche *impositio actus positivi*. E' vero che allora le punizioni si dovrebbero chiamare piuttosto *poenitentiae* che non *poenae*, ma corrisponderebbero molto di più all'antica e salutare disciplina orientale. Si noti che oggi anche nelle Chiese ortodosse le *poenae* sono tutte *privationes boni*, ma gli ortodossi riconoscerebbero pure che l'antica disciplina conteneva quasi sempre due elementi nella *poena*: la *privatio boni* e l'imposizione di un atto positivo. Oggi, si intende, non si possono imporre simili penitenze pubbliche, ma si cerchi almeno di pensare di introdurre nelle punizioni anche l'elemento positivo, che corrisponde molto di più al carattere medicinale delle punizioni canoniche, quasi l'unico riconosciuto nell'Oriente Cristiano ».

nendi reprobetur et insimul statuatur ut poenae tantum per processum iudicialem, de quo in schemate « De tutela iurium seu de processibus » canones 346-366 agunt, infligantur. Verumtamen quaedam poenae, eae scilicet quae in eiusdem canonis § 2 non excluduntur, quoties graves obstant causae ne iudicialis processus fiat et probationes de delicto evidentes sunt, decreto Hierarchae imponi possunt, summario processu servato in nuper memorati schematis canonibus 367-368 statuto. Processus hic ad validitatem decreti requiritur, qui speciem sententiae iudicialis prae se fert atque recursum in suspensivo ad Superiorem auctoritatem competentem intra 10 dies admittit.

Ita, sine processu praevio, quo reo detur sufficiens facultas esse defendendi, nulla poena infligi potest, iis exceptis in quibus opera poenitentiae imponuntur quae « sine processu... imponi possunt, dummodo de earum ex parte rei acceptatione, in quantum fieri potest, scripto constet ». De hac re in supramemorato canone 367 § 2 statuitur.

6) *De technicis vocibus et definitionibus.*

Ad technicas voces quod attinet, notetur Consultoribus Commissionis hoc consilium fuisse, ut nempe voces quae in « textu initiali » habentur ut in pluribus in eodem sensu retineantur. Verumtamen, omnis hac in re, ab iis quae doctrina iuristarum fert, discrepantia vitari non potuit, in iis praesertim canonibus in quibus de effectibus singularum poenarum agitur.

Ita vox « depositio » in canone 35 idem significat ac « degradatio » in C.I.C. can. 2305, unde omnino differt a « depositione » de qua in canone 2303 eiusdem Codicis. Similiter de « interdicto personali » sermo non occurrit, sed ea quae sub hac voce in C.I.C. (can. 2275) intelleguntur, nomine excommunicationis minoris in schemate (can. 33) veniunt.

Hac in provincia in particulari animadvertendum est verba « congrua poena puniatur », quae passim in secundo capite, « De poenis in singula delicta » inscripto, occurrunt, ex expressa mente Coetus a studiis « Specialis » mense Novembri 1980 coadunati, in sensu fortiter exhortativo sed non obligatorio sumenda esse.

Consulto vitatae sunt, quantum fieri potuit, definitiones necnon illa omnia quae ad doctrinam canonicam potius quam ad opus legislatoris pertinent. Hac in re notetur praesertim canon 14 schematis qui, multo sudore, tandem in Coetu a studiis « Speciali », mense Martio anni elapsi coadunato, ita redactus est ut voces « dolus », « culpa », « imputabilitas » nec adhibe-

rentur nec definirentur, sed nihilominus ius hac in re vigens (canones C.I.C. 2199, 2200, 2202, et 2203 in praxi ad Orientales Catholicos eodem modo atque ad christifideles Latinos applicantur) retineretur, iis quae in *Nuntia* 4, pp. 82-83, scripta sunt (can. 15) iam non obstantibus.

7) *De lege particulari poenali.*

Servato Episcoporum iure poenales leges ferendi vel legem divinam, vel ecclesiasticam a superiore auctoritate latam, congrua poena muniendi, principium statuitur ut hoc ius non exerceatur nisi quatenus vere necessarium sit quo aptius provideatur disciplinae ecclesiasticae (can. 5 § 1). Hac in provincia Consultoribus Commissionis visum est suadere ut ius particulare, quod perinde servatur, a poenis comminandis potius abstineat, atque praeter poenas quae in iure communi statuuntur nihil imponat nisi « ex gravissima necessitate » (can. 5 § 2). Item, si quae lex poenalis particularis ferenda videtur, Hierarchis diversorum rituum in eadem regione extantium obligatio fit curandi ut leges poenales in eodem territorio uniformes sint (can. 5 § 3).

Quocirca notare iuvat, in Coetu a studiis « Speciali » mense Novembri 1980 coadunato, opinionem praevaluisse secus ac in *Nuntia* 4 (pag. 77, can. 2) legi potest, ad necessitatem processus poenae irrogandae praevii quod attinet, iuri particulari non esse relinquendum aliud statuere ac in nova redactione can 2 § 1 propositum est. Hinc, etiam de poenis quae nonnisi in iure particulari statuuntur, canon 2 huius schematis adamussim servandus proponitur, reprobata qualibet contraria consuetudine.

* * * * * *

In exitu horum praenotandorum animadvertendum est schematis divisionem in duo tantummodo capita, praetermissis subdivisionibus quae, etsi possibiles, plures tamen difficultates perspicuitati schematis minime inservientes faciunt, Consultorum Coetus a Studiis «De delictis » sodalium unanimi proposito omnino consonam esse.

TITULUS XXVIII
DE SANCTIONIBUS POENALIBUS IN ECCLESIA

Caput I
DE DELICTIS ET POENIS IN GENERE

Can. 1

Cum omnem rationem init Deus ut errantem ovem reducat, illi qui ab Eo solvendi et ligandi potestatem acceperunt, morbo eorum qui deliquerint convenientem medicinam afferant, eos arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et doctrina, imo poenas imponant, ut a delicto vulneratis medeatur, ita ut neque delinquentes ad disperationis praecipitia impellantur, neque frena ad vitae dissolutionem et legis contemptum relaxentur.

Can. 2

§ 1. Poena canonica, reprobata qualibet contraria consuetudine, tantum per processum in canonibus NN [1] praescriptum irrogari potest, firma potestate coactiva iudicis in casibus iure expressis.

§ 2. Quoties tamen, iudicio Hierarchae, graves obstant causae ne iudicialis processus fiat et probationes de delicto evidentes sunt, delictum puniri potest per decretum extra iudicium ad normam canonum NN [2], dummodo non agatur de privatione potestatis, officii, iuris, tituli, insignium aut de suspensione ultra annum, de reductione ad inferiorem gradum, de depositione vel excommunicatione maiore.

§ 3. Hoc decretum ferre possunt in suos subditos Patriarcha, Hierarcha loci, excepto Protosyncello vel Syncello sine speciali mandato, atque Superior Maior instituti clericalis vitae consecratae Sedi Apostolicae vel Patriarchae immediate subiecti, ceteris omnibus exclusis.

Can. 3

§ 1. Etiamsi de delictis agatur quae poenam secumferunt in iure obligatoriam, Hierarcha, audito promotore iustitiae, a procedura poenali imo a poenis prorsus abstineri potest dummodo, ipsius Hierarchae iudicio, haec

---

[1] Remittitur ad canones 346-366 schematis « De tutela iurium seu de processibus ».
[2] Remissio fit ad canones 367-368 schematis de quo in nota 1.

omnia simul concurrant: delinquens in iudicium nondum delatus suum delictum Hierarchae in foro externo confiteatur atque sincere poenitentia motus sit; scandalum iam reparatum sit; congrue damni satisfactioni provisum fuerit.

§ 2. Hoc vero Hierarcha facere non potest si de delicto agatur quod poenam superiori auctoritati reservatam secumfert, usquedum venia ab eadem auctoritate obtineatur.

Can. 4

§ 1. In poenis benignior est interpretatio facienda.

§ 2. Non licet poenam de alia ad aliam personam vel de alio ad alium casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior.

Can. 5

§ 1. Qui legislativam habet potestatem, potest, quatenus vere necessarium sit ad aptius providendum disciplinae ecclesiasticae, etiam leges poenales ferre necnon suis legibus etiam legem divinam aut ecclesiasticam a superiore auctoritate latam congrua poena munire, servatis suae competentiae limitibus ratione territorii vel personarum.

§ 2. Lex particularis potest poenis lege omnibus Ecclesiis Orientalibus communi constitutis in aliquod delictum alias addere; id autem ne faciat nisi ex gravissima necessitate. Quod si eadem lex communis indeterminatam vel facultativam poenam comminetur lex particularis potest etiam in illius locum poenam determinatam vel obligatoriam statuere.

§ 3. Curent Hierarchae ut leges poenales in eodem territorio, in quantum fieri potest, uniformes sint.

Can. 6

§ 1. Quatenus quis potest ex potestate regiminis exsecutiva praecepta imponere eatenus potest, re mature perpensa et maxima moderatione, poenas determinatas per praeceptum comminari iis exceptis quae in can. 2 § 2 enumerantur; Patriarcha vero, audita Synodo permanenti, quamcumque poenam per praeceptum comminare potest.

§ 2. Monitio cum comminatione poenarum qua Hierarcha legem non poenalem in casibus singularibus urget praecepto poenali aequiparatur.

Can. 7

§ 1. Ubicumque natura delicti id patitur, poena irrogari nequit nisi delinquens antea semel saltem monitus fuerit ut a delicto desistat, dato congruo ad resipiscentiam tempore.

§ 2. A delicto destitisse dicendus est, qui delicti sincere poenituerit, quique praeterea congruam damnorum et scandali reparationem dederit vel saltem serio promiserit.

§ 3. Monitio poenalis vero de qua in canone 6 § 2 ad punitionem irrogandam sufficiens censetur.

Can. 8

Poena reum non tenet nisi postquam irrogata est, salvo iure Romani Pontificis vel Concilii Ecumenici poenas *latae sententiae* in Ecclesias Orientales introducendi.

Can. 9

§ 1. In poenis applicandis, etiamsi lex utatur verbis praeceptivis, iudex pro sua conscientia et prudentia potest:

1° poenae irrogationem in tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevideantur;

2° a poena irroganda abstinere vel poenam mitiorem irrogare, si reus emendatus sit et scandalum necnon damnum reparaverit aut si ipse satis a civili auctoritate punitus sit aut punitum iri praevideatur;

3° poenas intra aequos terminos moderari, si reus plura delicta commiserit, et nimius videatur poenarum cumulus;

4° obligationem servandi poenam suspendere in favorem eius qui omni vitae probitate hucusque commendatus prima vice deliquerit, dummodo scandalum reparandum non urgeat. Poena suspensa prorsus cessat si intra tempus a iudice decretatum reus iterum non deliquerit, secus, tamquam utriusque delicti debitor, gravius puniatur.

§ 2. Si poena sit indeterminata neque aliud lex caveat, iudex poenas in canone 2 § 2 recensitas irrogare non potest.

Can. 10

In poenis clerico irrogandis semper ei salva esse debent quae ad honestam sustentationem sunt necessaria, nisi agatur de depositione, quo in casu deposito, qui propter poenam vere indigeat, Hierarcha quo meliore fieri potest modo providere curet, salvis semper iuribus ortis ex praeteritis clerici contributionibus ad providentiam ac praecaventiam socialem.

Can. 11

Nulla poena irrogari potest post elapsum tempus quo actio poenalis ad normam canonum NN[3] praescribitur.

Can. 12

§ 1. Qui lege aut praecepto tenetur, adnexae eidem quoque poenae obnoxius est.

§ 2. Si postquam delictum commissum est lex mutetur, applicanda est lex reo favorabilior.

§ 3. Quod si lex posterior tollat legem vel saltem poenam, haec quomodocumque inflicta fuerit, statim cessat.

§ 4. Poena reum ubique tenet etiam resoluto iure eius qui poenam irrogavit, nisi expresse aliud caveatur.

Can. 13

§ 1. Nulli poenae est obnoxius qui decimum quartum aetatis annum non expleverit.

§ 2. Delicta vero quae intra 14 et 18 aetatis annum committuntur puniri possunt poenis quae privationem alicuius boni non includunt, nisi iudex, in casibus exceptionalibus, aliter melius consuli posse censeat eorum emendationi.

Can. 14

§ 1. Sanctionibus poenalibus is tantum subicitur qui legem vel praeceptum violavit aut deliberate aut ex graviter culpabili omissione debitae diligentiae aut ex graviter culpabili ignorantia legis vel praecepti.

§ 2. Posita externa legis vel praecepti poenalis violatione praesumitur eam deliberate factam fuisse donec contrarium probetur; in legibus vel praeceptis sanctione poenali non munitis id praesumitur tantummodo si lex vel praeceptum iterum post monitionem poenalem violatur.

Can. 15

Qui habitualiter rationis usu carent etsi legem vel praeceptum violaverint dum sani videbantur poena canonica plecti non possunt.

---

[3] Remissio fit ad canones 91-94 schematis de quo in nota 1.

Can. 16

§ 1. Si qua adsit circumstantia quae delicti gravitatem diminuat iudex poenam lege vel praecepto statutam temperare debet.

§ 2. Quod si delinquens vel usum rationis imperfectum tantum habuit aut delictum ex metu, necessitate, passionis aestu, in ebrietate aliave mentis perturbatione patraverit et iudex censeat aliter posse melius consuli rei emendationi, potest etiam a qualibet punitione irroganda abstinere.

Can. 17

Si delictum a recidivo commissum sit vel si alia adsint extraordinaria adiuncta, quae delicti gravitatem augeant, iudex potest reum gravius punire quam lex vel praeceptum statuit, non exclusis poenis in canone 2 § 2 recensitis.

Can. 18

Qui communi delinquendi consilio in delictum concurrunt neque in lege vel praecepto expresse nominantur, iisdem poenis atque auctor principalis puniri possunt vel ad prudentiam iudicis aliis eiusdem vel minoris gravitatis.

Can. 19

§ 1. Qui aliquid ad delictum patrandum egit vel omisit, nec tamen praeter suam voluntatem delictum consummavit, non tenetur poena in delictum consummatum statuta, nisi lex vel praeceptum aliter caveat.

§ 2. Quodsi actus vel omissiones natura sua ad delicti exsecutionem conducunt auctor congrua poena puniatur, praesertim si scandalum aliudve grave damnum evenerit, leviore tamen quam quae in delictum consummatum constituta est.

§ 3. Ab omni sanctione poenali liberatur qui sponte ab incoepta delicti exsecutione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit.

Can. 20

§ 1. Qui a lege quae poena munita est dispensare possunt vel a praecepto poenam comminanti eximere, possunt etiam eam poenam remittere.

§ 2. Potest praeterea lex vel praeceptum poenale aliis quoque potestatem facere poenas remittendi.

Can. 21

§ 1. Poenam constitutam lege omnibus Ecclesiis orientalibus communi, si sit irrogata, remittere possunt:

1° Hierarcha qui iudicium ad poenam irrogandam promovit vel decreto eam per se vel per alium irrogavit;

2° Hierarcha loci in quo reus versatur audito tamen Hierarcha de quo in numero praecedenti.

§ 2. Haec regula valet etiam pro poenis lege particulari necnon praecepto cuiuscumque Hierarchae statutis, nisi in iure particulari Ecclesiarum sui iuris aliter statuatur.

§ 3. Poenam vero a Sede Apostolica irrogatam una Sedes Apostolica remittere potest, nisi in sententia vel decreto Patriarchae vel aliis expresse remissio poenae delegetur.

Can. 22

Poenae remissio, vi aut metu gravi extorta, ipso iure irrita est.

Can. 23

§ 1. Remissio dari potest etiam absenti vel sub conditione.

§ 2. Remissio dari debet scripto nisi gravis causa aliud suadeat.

§ 3. Caveatur ne remissionis petitio vel ipsa remissio divulgetur, nisi quatenus id vel utile sit ad rei famam tuendam vel necessarium ad scandalum reparandum.

Can. 24

§ 1. Salvo iure Romani Pontificis cuiusvis poenae remissionem sibi vel aliis reservandi, Patriarchae reservari potest remissio poenarum, pro subditis intra fines sui territorii, lege in Synodo Episcoporum, propter extraordinarias circumstantias, lata; nemo alius potest valide sibi vel aliis reservare poenas lege omnibus Ecclesiis orientalibus communi statutas nisi ex consensu Sedis Apostolicae.

§ 2. Omnis reservatio autem stricte est interpretanda.

Can. 25

§ 1. Remissio poenae dari non potest nisi illi qui delicti patrati sincere poenituerit congruam damnorum satisfactionem saltem serio promiserit, necnon nisi scandalum reparatum fuerit.

§ 2. Si vero, iudicio illius cui poenae remissio competit, impletae sunt hae conditiones, remissio ne denegetur.

Can. 26

Si quis pluribus poenis detineatur remissio valet tantummodo pro poenis in ipsa expressis; generalis autem remissio omnes aufert poenas, iis exceptis quas in petitione reus mala fide reticuerit.

Can. 27

Si poena vetat recipere sacramenta vel sacramentalia vetitum suspenditur quamdiu reus in mortis periculo versatur.

Can. 28

§ 1. Nisi alia poena in iure determinata sit, irrogari possunt, iuxta avitas Orientis traditiones, poenae quibus imponitur aliquod, etiam gravius, religionis vel pietatis vel caritatis opus peragendum, veluti preces determinatae, prostrationes, pia peregrinatio, peculiare ieiunium, elemosynae, recessus spirituales.

§ 2. Illi qui has poenas non est dispositus luere aliae poenae imponantur.

Can. 29

§ 1. Salvo iure particulari, correptio publica fit vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistulam ita tamen ut de receptione et tenore epistulae ex aliquo documento constet.

§ 2. Cavendum ne ipsa correptione publica detur maiori quam par est infamiae rei.

Can. 30

Si casus gravitas ferat et praecipue si agatur de recidivis, Hierarcha, etiam praeter poenas per sententiam iudicialem inflictas, reum submittere potest vigilantiae, modo per decretum administrativum determinato.

Can. 31

§ 1. Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio clericos vel sodales Institutorum vitae consecratae afficere potest; praescriptio autem clericos eparchiales tantum, salvo tamen iure particulari monachorum vel aliorum sodalium Institutorum vitae consecratae.

§ 1. Ut praescriptio commorandi in certo loco vel territorio irrogetur accedat oportet consensus Hierarchae illius loci, nisi agatur vel de domo Instituti vitae consecratae exempta, eius Superiore consentiente, vel de domo clericis plurium eparchiarum poenitentibus vel emendandis destinata.

Can. 32

§ 1. Privationes poenales afficere possunt tantum illas potestates, officia, ministeria, munera, iura, privilegia, facultates, gratias, titulos, insignia, quae sunt sub potestate Superioris poenam constituentis vel Hierarchae qui iudicium ad poenam irrogandam promovit vel decreto eam per se vel per alium irrogat; idem valet pro translatione poenali ab officio ad aliud inferius.

§ 2. Potestatis ordinis privatio dari nequit sed tantum prohibitio eam vel aliquos eius actus exercendi ad normam canonum de suspensione; item dari nequit privatio graduum academicorum.

Can. 33

Excommunicatione minori puniti ad tempus determinatum privantur Sacra Communione, vel excluduntur a participatione in divina Liturgia, vel etiam ab ingressu in ecclesiam quando in ipsa publici cultus caerimoniae peraguntur,

Can. 34

§ 1. Suspensio ab omnibus vel aliquibus actibus potestatis ordinis aut regiminis, ab exercitio omnium vel aliquorum iurium vel munerum officio inhaerentium, nisi iure communi vel particulari determinata sit, ipsa sententia vel decreto quo poena irrogatur, definitur.

§ 2. Nemo suspendi potest nisi ab actibus qui sunt sub potestate Superioris poenam constituentis vel Hierarchae qui iudicium ad poenam irrogandam promovit vel decreto suspensionem per se vel per alium irrogat.

§ 3. Suspensio numquam afficit validitatem actuum, nec ius habitandi si quod reus ratione officii, ministerii vel muneris habeat; suspensio vero vetans fructus, stipendium, pensiones, aliudve percipere, secumfert obligationem restituendi quidquid illegitime, quamvis bona fide, perceptum sit.

Can. 35

§ 1. Clericus ad inferiorem gradum reductus illa tantum officia potestatis ordinis et regiminis exercere potest quae huic gradui consentanea sunt.

§ 2. Clericus vero a statu clericali depositus privatur omnibus officiis, muneribus, pensionibus ecclesiasticis et potestate qualibet delegata; fit ad ea inhabilis; potestatem ordinis exercere prohibetur; promoveri nequit ad ordines et generatim laicis, quod ad iuridicos effectus attinet, aequiparatur, nisi quid lex communis vel particularis exceperit.

Can. 36

§ 1. Excommunicatio maior, praeter omnia illa de quibus in canone 33, vetat et alia sacramenta recipere, sacramenta et sacramentalia celebrare, ecclesiasticis officiis, ministeriis, vel muneribus quibuslibet fungi, actus regiminis ponere, qui, si positi, ipso iure nulli sunt.

§ 2. Excommunicatione maiore punitus a participatione in divina Liturgia vel in aliis quibuslibet publici cultus caerimoniis arcendus est.

§ 3. Excommunicationi maiori subiacens vetatur frui privilegiis antea concessis, nequit valide consequi dignitatem, officium, ministerium aliudve munus in Ecclesia, pensionem ecclesiasticam; nec fructus his adnexos facit suos; caret etiam voce activa et passiva.

Can. 37

Si poena vetat celebrare sacramenta vel sacramentalia vel ponere actum regiminis, vetitum suspenditur, quoties id necessarium sit ad consulendum fidelibus in mortis periculo constitutis.

Caput II

De poenis in singula delicta

Can. 38

§ 1. Qui aliquam veritatem fide divina et catholica credendam denegat vel eam in dubium ponit aut fidem christianam ex toto repudiat et a legitima auctoritate ecclesiastica admonitus non resipiscat, ut haereticus aut apostata excommunicatione etiam maiore plectatur

§ 2. Qui subiectionem Supremae Ecclesiae Auctoritati detrectat et a legitima auctoritate admonitus suam actionem omnino non revocat, ut schismaticus excommunicatione etiam maiore plectatur.

§ 3. Qui, praeter casus de quibus in § 1, doctrinam a Magisterio authentico ecclesiastico, ut erroneam damnatam docet, nec a legitima auctoritate admonitus resipiscat, congrua poena puniatur.

Can. 39

Qui consulto omiserit commemorationem Hierarchae in divina Liturgia ceterisque divinis officiis in signum communionis et subiectionis ecclesiasticae praescriptam, congruis poenis coerceatur non exclusa excommunicatione maiore.

Can. 40

§ 1. Si quis res speciali benedictione vel usu liturgico ad cultum divinum destinatas in usus profanos vel in malum finem adhibet suspendatur vel Sacra Communione privetur.

§ 2. Si vero species consecratas in sacrilegum finem abducit, retinet vel abicit, excommunicatione maiore plectatur et, si clericus, aliis quoque poenis puniatur non exclusa depositione.

Can. 41

Si quis divinae Liturgiae vel aliorum sacramentorum celebrationem simulat excommunicatione etiam maiore puniatur.

Can. 42

§ 1. Qui periurium commiserit coram auctoritate ecclesiastica congrua poena puniatur, maxime si in munere ecclesiastico sit constitutus.

§ 2. Is qui, etsi iniuratus, iudici legitime interroganti scienter falsum affirmat aut verum occultat sive quis ad hoc delictum inducit, congrua poena puniatur.

Can. 43

§ 1. Qui vim physicam in Episcopum adhibuerit vel aliam gravem iniuriam in ipsum iniecerit congruis poenis puniatur non exclusa, si clericus sit, depositione. Si vero idem delictum in Metropolitam, Patriarcham vel imo Romanum Pontificem commissum fuerit excommunicatione maiore delinquens plectetur, cuius absolutio in ultimo casu ad ipsum Romanum Pontificem est reservata.

§ 2. Qui id egerit in alium clericum, sodalem Instituti vitae consecratae vel laicum qui fungitur munere ecclesiastico congrua poena puniatur.

Can. 44

Qui proprio Hierarchae legitime praecipienti vel prohibenti non obtemperat et post admonitionem in inoboedientia persistat, ut delinquens congrua poena puniatur.

Can. 45

§ 1. Qui seditiones vel odia adversus quemcumque Hierarcham suscitat aut subditos ad inoboedientiam in eum provocat congrua poena puniatur, non exclusa excommunicatione maiore, praesertim si de Patriarcha vel immo de Romano Pontifice agatur.

§ 2. Qui impedit libertatem ministerii vel electionis vel potestatis ecclesiasticae, aut legitimum bonorum ecclesiasticorum usum, aut perterrefacit electorem vel eum qui potestatem vel ministerium ecclesiasticum exercuit, congrua poena puniatur.

Can. 46

§ 1. Qui vel publico spectaculo vel concione vel in scripto publice evulgato vel aliter instrumentis communicationis socialis utens blasphemiam profert, aut bonos mores graviter laedit, aut in religionem vel Ecclesiam iniurias exprimit vel odium contemptumve excitat, congrua poena puniatur.

§ 2. Congrua poena puniatur qui nomen dat consociationi quae contra Ecclesiam machinatur.

Can. 47

Qui sine praescripta licentia bona ecclesiastica alienat congrua poena puniatur.

Can. 48

§ 1. Qui homicidium patravit puniatur excommunicatione etiam maiore, suspensione vel depositione.

§ 2. Eodem modo puniantur procurantes vel promoventes abortum.

Can. 49

Qui hominem rapit aut iniuste detinet, graviter vulnerat vel mutilat, congrua poena, non exclusa excommunicatione maiore, puniatur.

Can. 50

Si quis gravem iniuriam cuiquam irrogaverit vel eius bonam famam per calumniam graviter laeserit, ad congruam satisfactionem praestandam cogatur, atque excommunicatione minore vel suspensione plectatur.

Can. 51

§ 1. Clericus concubinarius suspensione puniatur, cui, persistente delicto, aliae poenae gradatim addi possunt usque ad depositionem; si clericus aliter contra castitatem deliquerit congrua poena puniatur.

§ 2. Clericus qui prohibitum matrimonium attentavit deponatur.

§ 3. Sodalis Instituti vitae consecratae votis publicis adstrictus, qui non sit in sacris ordinibus constitutus, haec delicta committens, congrua poena puniatur.

Can. 52

Qui falso de quovis delicto aliquem denuntiaverit congrua poena puniatur, non exclusa excommunicatione maiore, maxime si de confessario vel de Hierarcha, clerico vel sodali Instituti vitae consecratae vel etiam laico munere ecclesiastico fungente agatur.

Can. 53

Qui documentum ecclesiasticum falsum conficit vel in eo falsum asserit, aut qui falso vel mutato documento scienter utitur in re ecclesiastica aut verum documentum mutat, destruit, vel occultat, congrua poena puniatur.

Can. 54

§ 1. Confessarius, qui sacramentale sigillum directe violat excommunicatione maiore plectetur; si vero alio modo hoc sigillum frangit congrua poena puniatur.

§ 2. Excommunicatione minore vel alia gravi poena puniatur qui notitias ex confessione habere quoquo modo conatus est vel illas iam habitas aliis transmittit.

Can. 55

§ 1. Episcopi, qui aliquem, sine competentis auctoritatis mandato, in Episcopum ordinant et qui ab ipsis ordinationem hoc modo recepit excommunicatione maiore plectentur.

§ 2. Episcopus, qui presbyteros vel diaconos contra praescripta canonum ordinat, congrua poena puniatur.

Can. 56

Si quis saecularibus potestatibus usus ordinationem sacram vel officium ecclesiasticum obtinet, deponatur.

Can. 57

Si quis ordinationem sacram simoniace acceperit, deponatur et ipse et ordinans eum; si vero simoniace alia sacramenta administraverit vel receperit, congrua poena puniatur.

Can. 58

Quicumque officium, ministerium vel munus in Ecclesia simoniace obtinet, quomodocumque usurpat, illegitime retinet, aliis transmittit, vel exsequitur, congrua poena puniatur, non exclusa depositione.

Can. 59

Qui quidvis donat vel pollicetur ut quis, officium in Ecclesia exercens, illegitime quid agat vel omittat, congrua poena puniatur simul cum illo qui ea dona vel pollicitationes acceptat.

Can. 60

Qui, praeter casus in iure iam praevisos, ecclesiastica potestate, officio, ministerio vel munere abutitur aut obligationes his adnexas graviter violat vel negligit, congrua poena puniatur non exclusa officii privatione.

Can. 61

Si quis, officium, ministerium vel munus habens in Ecclesia, cuiuscumque sit ritus, quemvis fidelem ad alium ritum assumendum quomodocumque inducere praesumat, suspensione vel excommunicatione minore ad mensem

et, in casibus gravioribus, maiore etiam poena, puniatur praesertim ad instantiam Hierarchae cui interest qui in casu negligentiae vel recidivitatis ad Sedem Apostolicam recurrat.

Can. 62

Clericus vel sodalis Instituti vitae consecratae mercaturam vel negotiationem contra canonum praescripta exercens, pro delicti gravitate puniatur.

SCHEMA CANONUM DE CLERICIS ET LAICIS

Praenotanda

Hoc fasciculo schemata trium futuri Codicis iuris canonici orientalis titulorum, respective « De clericis », « De laicis » atque « De christifidelium consociationibus » inscriptorum, examini Organorum Consultationis subiciuntur. Hi tituli, etsi in systematica ordinatione Codicis, prout in praesenti statu laborum Commissionis concipitur (cf. *Nuntia* 11, pp. 85-86), alio modo disponuntur, hic simul unica enumeratione canonum proponuntur, ad consultationem faciliorem reddendam.

Ad canones tituli IX quod attinet, qui totus a Coetu a studiis IV consultorum Commissionis, « De clericis atque magisterio ecclesiastico » nuncupato, accurate confectus est, copiosa extant commentaria, anglico sermone exarata, in *Nuntia* 3, pp. 54-69, *Nuntia* 7, pp. 7-20, ac *Nuntia* 8, pp. 68-84, quae magnopere commendamur ut perlegantur. Attamen animadvertendum est aliquos, paucos revera, canones huius tituli novissime in duobus a studiis Coetibus recognitos esse. Ita, in Coetu a studiis *Speciali,* mense Februarii 1980 coadunato, canones praeliminares ex novo redacti sunt, illum unicum canonem, qui in *Nuntia* 3, pp. 55-56 legi potest, in plures canones scindendo. In Coetu vero *Centrali* Consultorum, mense Aprili proxime subsequente habito, aliqui canones denuo et substantialiter recogniti sunt, ex quibus nonnullos, qui de erectione Seminariorum (cf. schematis canones 13-15 cum *Nuntia* 8, pag. 73 comparatos) agunt, memorari praestat.

Canones qui in titulis X et XII * proponuntur, elaborati sunt a Coetu a studiis VI, cui aliae partes Codicis, praeter sectiones « De laicis et de

---

* Titulus XI « De monachis ceterisque religiosis necnon de sodalibus aliorum Institutorum vitae consecratae » inscriptus, separato instrumento adhibito, ad Organa consultationis die 29 mensis Decembris 1980 transmissus est.

consociationibus », recognoscendae commissae sunt. Schemata haec iam anno 1976 accurate confecta erant. Quando vero Coetus *Centralis* Consultorum examini subiecta sunt, fere ex toto placuerunt. Quare relatio, latino sermone exarata, quae de his canonibus in *Nuntia* 5, pp. 40-47 invenitur, sine addito commendatur.

TITULUS IX

DE CLERICIS

In hoc titulo recognoscuntur non solummodo canones 38-87, 155-158 Litterarum Apostolicarum « Cleri sanctitati », qui ius vigens de clericis in genere constituunt, sed etiam canones « de Seminariis » qui, iam anno 1945 a Commissione C.I.C.O. Redigendo apparati, numquam promulgati sunt, qui tamen, informationis atque scientiae canonicae promovendae gratia, ex archivo desumpti, in *Nuntia* 3, pp. 79-84 lectori attento proponuntur.

« De Seminariis » canones ad sectionem *de Magisterio ecclesiastico,* ut in Codice Latinae Ecclesiae fit, pertinebant. Nunc vero, omnibus mature perpensis, Caput I tituli « De clericis » constituunt. Nam, ii non tantummodo agunt de doctrinae institutione, quae ad magisterium potius pertinet, sed etiam de vocationibus fovendis, de Seminariis erigendis ac regendis, de clericorum institutione spirituali, pastorali atque omnino humana.

Ad canones 38-43 Litt. Ap. « Cleri sanctitati » (=CS), tituli « De clericis in genere », quod attinet, notandum est canones 38-40 in schemate retineri, nova tamen inducta formulatione de qua infra dicetur, canones vero 41-43, de praelatiis titulis agentes, partim supprimendi proponuntur, partim ad alias partes codicis translati sunt, scilicet in can. 75 huius schematis necnon in quosdam canones schematis « De constitutione hierarchica Ecclesiarum orientalium » in quibus etiam sufficienter provisum videtur de iis quae in can. 41 § 1 n. 1 CS de Patriarchis praescribuntur.

Sub voce « clerici » (can. 1), ad Codicem omnium Ecclesiarum orientalium communem, ut nunc proponitur, quod spectat, ii tantummodo intelleguntur qui sacra ordinatione praediti sunt, i.e. Episcopi, presbyteri et diaconi.

Attamen voces « clerici minores », sub quibus ministri ordine minore aucti comprehenduntur, ex Codice plane non excluduntur. Explicite enim declaratur (can. 5) clericos minores iure particulari regi, nisi ex natura rei (e.g. donec in Seminariis vitam agunt) aliud constet.

Imprimis notio clerici (can. 1) traditur, quae, brevi formulatione, omnia essentialia huius notionis elementa, theologica ac insimul iuridica, continere intendit: vocationem a Domino, Spiritus Sancti actionem, Ecclesiae electionem, sacram ordinationem, deputationem ad ministeria atque participationem in missione et potestate Christi Pastoris.

Locutiones « hierarchia ordinis » atque « hierarchia iurisdictionis », de quibus in can. 38 § 3 CS, primo retentae sunt (cf. *Nuntia* 3, pag. 56), sed tandem omissae. Ansam enim praebere possunt ut quis cogitet duplicem esse hierarchiam in Ecclesia. Hac in re ad locutiones C.I.C. can. 108 § 3, si horum terminorum necessitas occurrit, reditus proponitur, quippe quae ipsis theologicis formulis orientalium magis consentaneae videantur: hierarchia unica est quae tamen ratione ordinis vel ratione iurisdictionis ex variis gradibus constat. Haec nunc, nova formula, in canonibus 2 et 4 exprimuntur, addito canone 3 in quo participatio omnium clericorum, in communione hierarchica iunctorum, in unica ministeriali Ecclesiae missione summopere elucet.

Ad notionem provisionis canonicae (can. 4) quod spectat, notetur ex schematibus (quae in Coetu a studiis « De officiis » peracta sunt) omitti eiusdem definitionem, quae in can. 88 § 2 CS traditur (« nomine canonicae provisionis venit concessio offici ecclesiastici, a competenti auctoritate ecclesiastica, ad norman canonum facta »), modi vero, quibus provisio canonica fit, enumerantur. Cum « simplex electio et electi acceptatio » unus ex his modis sit, plures Consultores opinantur, canonem 4 schematis extendi etiam ad electionem atque eiusdem electionis acceptationem quibus Romanus Pontifex plenam et supremam in Ecclesiam potestatem iure divino obtinet. De hoc casu vero in canonibus de Romano Pontifice agentibus magis definite pertractandum esse videtur.

Caput I, *de institutione clericorum,* quibusdam canonibus praeliminaribus praepositis, in duos articulos dividitur, quorum prior de Seminariis erigendis et regendis, alter vero magis directe de ipsa clericorum institutione praescriptiones continet.

Totum caput, 36 canonibus constans, novum est, cum ad sectionem codicis *de Seminariis* referatur, quae, uti iam dictum est, promulgata numquam fuit. Insuper, animadvertendum est hanc sectionem, prout in archivo Commissionis (cf. *Nuntia* 3, pp. 79-84) iacebat, vix ut « textum initialem » laborum considerari posse, quippe quae, etsi prae oculis constanter habita, profundiore modo recognita sit ad normas Concilii Vaticani II in decreto « Optatam totius » statutas necnon ad praescripta quae in « Ratione fundamentali institutionis sacerdotalis », a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica (d. 6 mensis Ianuarii 1970) proponuntur.

De opera Consultorum Commissionis in his canonibus exarandis consumpta fuse in *Nuntia* 8, pp. 68-84 refertur. Hoc loco nonnisi quaedam magis conspicua redduntur.

Principio « subsidiaritatis », quod vocant, permeati canones proponuntur, praesertim illi qui ad erectionem Seminariorum (can. 13) *Rationem institutionis clericorum particularem* (can. 9), approbationem statutorum (can. 16) et *Directorii* (can. 20) uniuscuiusque Seminarii proprii, pertinent.

Multo negotio canon 13, in Coetu a studiis *Speciali* mense Februario 1981 elaboratus, ad praesentem denique formam redactus est. Prae oculis habito statu canonico Seminariorum metropolitanorum, patriarchalium, regionalium, nationalium (cf. can. 11), interritualium etc. necnon pontificiorum, demum omnes has voces ex canone omittendas visum est. Variis enim rationibus hae voces Seminariis tribuuntur, quae statui iuridico eorum haud semper congruunt. Etiamsi nihil vetat quominus et in posterum Seminaria his titulis ornari possint, in schemate nonnisi duo genera Seminariorum nominantur, scilicet Seminarium pro una tantum eparchia necnon Seminarium pro subditis plurium Hierarcharum commune. Auctoritates quae ad communia Seminaria erigenda competentes sunt, taxative definiuntur in eiusdem canonis § 1. Haec § maioris est momenti, cum earundem auctoritatum etiam sit prospicere Seminarii expensis (can. 21 § 1), statuta (can 16 § 2) necnon *Directorium* Seminarii (can. 20) adprobare, Hierarcham cuius regimini Seminarium immediate subicitur designare (can. 15) necnon super statum Seminarii advigilare (can. 41 § 1; cf. etiam can. 39). Ad commune Seminarium erigendum competentia tribuitur imprimis Hierarchis quorum interest, deinde auctoritati eisdem Hierarchis superiori, quae tamen, nisi de ipsa Sede Apostolica agatur, ad validitatem erectionis consensum collegii Episcoporum propriae Ecclesiae obtinere debet.

Ad internum Seminariorum regimen quod attinet notentur cann. 17 et 18 quibus praescribitur quinam officiales et quae consilia Rectori in moderando Seminario praesto sint. In Seminario tenuioris condicionis, — quod saepe in Oriente nostra aetate evenit — officia ac consilia omitti possunt, dummodo Rector atque Pater spiritualis, quorum officia comulari nequeunt, adsint (can. 19).

Ad admissionem in Seminarium minus non est necessaria intentio sacros ordines in futuro recipiendi. Canone 10 etiam ii admittendi proponuntur qui ad officia ecclesiastica, quae statum clericalem non requirunt, imo ad alia apostolatus opera, efformari cupiunt. In Seminario vero maiore, ut § 2 eiusdem canonis fert, « probatur atque confirmatur vocatio eorum qui certis signis idonei iam aestimantur ad ministeria ecclesiastica stabiliter suscipienda ».

In articulo II huius capitis, « de institutione ad ministeria » inscripto, praeter normas stricto sensu iuridicas, quibus scilicet obligationes et iura in specie determinantur, nonnullae magis generales normae praebentur eo consilio ut singulis Ecclesiis, auctoritatibus praesertim de quibus in canone 9, via sint recta, sine ullis diverticulis, ad *Rationem institutionis clericorum particularem* conficiendam.

Institutio philosophica, theologica, pastoralis atque humana, solida in canonibus 33-37 proponitur, propriae Ecclesiae ritus patrimonio adhaerens, sed mente vere universali, quae nihil praetereundum suadet quod, etsi ex aliarum Ecclesiarum patrimonio rituali atque e diverso populorum civili cultu desumptum, ad integram humanitatem alumnorum conferre possit.

Can. 29, de spirituali institutione alumnorum agens, quibusdam, fortasse, de re latius pertractari videri possit. Consultoribus vero Coetus a studiis, qui schema hoc confecit, omnibus perpensis, sat placuit, ex mente de qua superius dictum est, id est ut aptum sit medium ad *Rationem institutionis clericorum particularem* in tanti momenti re undequaque integram atque Orientis patrimonio consonam recte conficiendam.

In Capite II *de adscriptione clericorum alicui eparchiae,* canones 44-52 Litt. Ap. « Cleri Sanctitati » recognoscuntur. De opera Consultorum in huius sectionis Codicis vigentis recognitione consumpta quaedam in *Nuntia* 7, pp. 7-12, lectori proponuntur.

Disciplina de necessaria clericorum alicui eparchiae adscriptione, in Oriente non minus quam in Occidente antiquissima (cf. fontes ad canones CS), substantialiter retenta est, quibusdam normis ad hodierna tempora accommodatis, pastoralis populi servitii imprimis gratia, iuxta Vaticani II Concilii optata (cf. Decr. « Christus Dominus » n. 6; Decr. « Presbyterorum Ordinis » n. 10) atque normas deinde a Sede Apostolica editas in Litt. Ap. « Ecclesiae Sanctae » (Pars I, nn. 3 et 4) a die 6 mensis Augusti 1966.

Cum notio clerici in canone 1 schematis ad eos, qui sacram ordinationem receperunt, restricta sit, « ritus quo quis clericus fit » (CS can. 45) et per quem adscribitur eparchiae pro cuius servitio ordinatur, ipsa diaconalis ordinatio est. Hoc in canone 43 proponitur, hac clausula addita: « nisi ad normam iuris particularis eidem eparchiae iam adscriptus fuerit ». Haec clausula canoni 5 consona est, in quo iuri particulari relinquuntur normae de clericis minoribus, inter quas norma, in nonnullis Ecclesiis antiqua traditione suffragante sedulo servata, invenitur iuxta quam aliquis eparchiae qua clericus adscribitur primo ordine minore (vel ipsa tonsura) recepto.

Formulatio canonis 44, pluribus a studiis Coetibus cooperantibus, eo « De monachis ceterisque religiosis » imprimis consulto, operosior fuit. Titubationes sat graves (cf. quaedam de his in *Nuntia* 7, pp. 9-10) tandem,

ut spes est, solutae sunt in Coetu a studiis *Speciali,* mense Martio 1980 coadunato, in quo canon 44, in hoc fasciculo extans, redactus est. Proponitur ut professio definitiva in Institutis vitae consecratae iam non sit radix adscriptionis sodalium qua clericorum (etsi hac professione « amittitur propria eparchia », quod etiam pro non clericis valet) iisdem Institutis, nisi de iis agatur, qui alicui eparchiae qua clerici iam adscripti sunt. Pro ceteris casibus eadem regula ac pro clericis eparchialibus proponitur, scilicet adscriptio sodalis qua clerici proprio Instituto vitae consecratae fit ipsa diaconali ordinatione. In constitutionibus vero singulorum Institutorum vitae consecratae de consectariis huius canonis opportune providendum erit e.g. non admittendo ad ordinem diaconatus sodales antequam ipsi definitivam professionem emiserint (quae in Monasteriis post tres novitiatus annos fit, dum in Ordinibus et Congregationibus fieri potest postquam triennium temporaneae professionis elapsum est), vel, si casus ferat, expostulando peculiarem a Sede Apostolica in re facultatem (e.g. in casu vocationis virorum provectioris aetatis).

Novi sunt canones 46 et 47 in quibus normae Litt. Apostolicarum « Ecclesiae sanctae » (pars I n. 3) de transmigratione in aliam eparchiam, mutato ordine, proponuntur. Additur can. 48, etiam novus (cf. tamen CS can. 86), in quo de clerico qui inde ex transmigratione in propriam eparchiam legitime redit providetur, hoc principio statuto ut ei salva et tecta sint omnia iura quibus gauderet si in propria eparchia sacro ministerio addictus fuisset.

In ceteris huius capitis canonibus ius vigens quoad substantiam retinetur.

In Capite III, *de obligationibus et iuribus clericorum,* recognoscuntur canones 53-87 Litt. Ap. « Cleri sanctitati » qui ibidem in duas sectiones divisi sunt, quarum prior de « iuribus et privilegiis clericorum », altera vero « de obligationibus clericorum » inscripta est.

Quae in *Nuntia* 3 (pp. 62-69) et *Nuntia* 7 (pp. 13-17) de opera Consultorum in his canonibus recognoscendis usque ad finem anni 1976 impensa habentur relationes, fere ex integro suum servant valorem. Nam decursu subsequentium Commissionis laborum nonnisi paucae atque minoris momenti emendationes in hoc caput introductae sunt, canonibus 76 et 77 exceptis, quorum prior, de titulis praelatitiis agens, a Coetu a studiis *Speciali,* mense Februarii 1980 coadunato, ex praeliminaribus sectionis « De clericis in genere » canonibus (CS can. 41 § 1 et can. 42 § 2) desumptus, recognitus atque novo loco positus est, alter vero ab eodem Coetu quoad substantiam aliter redactus est ut inferius dicetur.

De privilegiis clericorum sermo in schemate non occurrit. Unanimi Con-

sultorum voto canones de privilegiis clericorum in Litt. Ap. « Cleri sanctitati » exstantes, abolendi proponuntur vel saltem ita formulandi ut privilegia ad iura reducantur.

Hoc votum receptum est e.g. in canone 68 schematis in quo ea, quae de immunitate clericorum ab onere militiae itemque a muneribus et publicis civilibusque officiis a statu clericali absonis habentur, ut obligatio munera non assumendi atque exemptiones legis civilis in hac re non praetermittendi, proponuntur. Ita etiam « privilegium fori » de quo in can. 55 CS, reducitur in can. 77 schematis ad obligationem curandi ut controversiae evitentur vel, si quae nihilominus exoriantur, ut quoad eius fieri potest, in foro Ecclesiae dirimantur. De hoc canone Coetus a studiis *Specialis* mense Februario 1980 coadunatus egit, qui maxime adhaerere voluit iis quae in 1. Cor. 6, 1-8 a Beato Paulo Apostolo praeclare scripta atque in primaeva Ecclesia diu servata sunt.

In inscriptione huius capitis visum est obligationes iuribus praeponi, sed notandum est hunc ordinem haud servatum esse in ipsis canonibus componendis, cum iura et obligationes saepe ita cohaereant ut in eodem canone simul, diversis, si casus ferat, paragraphis, tractentur (cf. can. 56).

Etiamsi nonnuli canones vigentis iuris omissi vel in unum canonem conglobati sunt, in schemate huius sectionis numerus complexivus canonum aliquantum augetur quibusdam novis canonibus adiectis. Ad iura atque obligationes clericorum quod attinet, novitates quaedam habentur, non solummodo in « novis » canonibus, sed etiam in aliquibus aliis, in quibus canones Litt. Ap. « Cleri sanctitati » recognoscuntur. Inter ea quae hic explicite urgentur, notentur obligationes:

1° Regnum Dei omnibus praedicandi (can. 52);

2° pro coniugatis clericis, ceteris christifidelibus praeclarum exemplum praebendi in vita familiari ducenda (can. 60);

3° frequenter divinam Liturgiam celebrandi (can. 63);

4° cum clericis cuiuslibet ritus cooperandi (can. 64);

5° beneficientia, hospitalitate, sacramentorum ministerio omnibus praelucendi (can. 66);

6° spiritus paupertatis testimonium reddendi (can. 72 § 1);

7° Ecclesiae universae necessitatibus inserviendi (can. 81).

Inter iura quae in schemate expressam mentionem obtinent animadvertantur sequentia:

1° ius a proprio Hierarcha aliquod ministerium vel officium in Ecclesiae servitium obtinendi (can. 56 § 1);

2° ius professionem civilem ex licentia Hierarchae exercendi (can. 73 § 2);

3° ius ad remunerationem et praecaventiam socialem (can. 78);
4° ius sese cum aliis sive clericis sive laicis consociandi (can. 79);
5° ius ad congruum feriarum tempus (can. 80).

Sicut in Litt. Ap. « Cleri sanctitati » (can. 71) nihil innovatum est circa vigentem in unaquaque Orientalis ritus Ecclesia de coniugatis clericis disciplinam, haec etiam in schemate immutata relinquitur, nulla tamen facta de re mentione.

Consultoribus Coetus a Studiis « de Clericis » sodalibus, omni traditione atque hodierna praxi orientalium in re mature perpensa, visum est de clericis orientalibus sive sunt caelibes sive uxorati simul in schemate, quod hic proponitur, agendum esse (cf. *Nuntia* 3, pag. 54). Quare in can. 58 statuitur statum clericorum matrimonio iunctorum in honore habendum esse sed simul etiam caelibatum clericorum multimodis sacerdotio convenire prout fert Ecclesiae universalis traditio. Quidam timor, ne caelibatus clericorum minore honore in Oriente afficiatur, quae sollicitudo in canone 68 Litt. Ap. « Cleri Sanctitati » celari aliquibus videbatur, nec ex traditione nec hodierna Orientalium praxi, Orthodoxorum haud exclusa, probari potuit. Item, in canone 59 obligatio tam caelibum cum coniugatorum clericorum castitatis decore elucendi, diversa verbi castitatis significatione, una simul urgetur. De peculiari vero obligatione coniugatorum clericorum ceteris christifidelibus exemplum praebendi in vita familiari ducenda atque prole educanda in separato canone (can. 60) agitur. Item in separato canone, ad clericos caelibes quod attinet, consuetudo vitae communis enixe commendatur, ut ipsi in omni ministerio, vita spirituali et intellectuali mutuo adiuventur. Sermo de coniugatis clericis, iterum occurrit in canone 78 § 1 ubi de clericorum iure ad iustam remunerationem agitur, quae etiam eorum familiae sustentandae, nisi, aliter sufficienter provisum est, satis esse debet.

Ceterae omnes clericorum obligationes eorumdemque iura, de quibus in hac sectione, nulla facta distinctione eodem modo caelibes et coniugatos clericos afficiunt.

In capite IV schematis recognoscuntur canones 155-158 Litt. Apostolicarum « Cleri sanctitati » qui inscribuntur « De reductione clericorum ad statum laicalem ». De opera Consultorum Coetus a studiis « De clericis » sodalium, mense Novembris 1976 peracta, quaedam in *Nuntia* 7, pp. 18-19 legi possunt. Notandum est tamen canones huius capitis denuo recognitos esse, sive in Coetu « Speciali », mense Iunio 1980 coadunato, postquam in eodem Coetu, canones 501-506 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » ad simpliciorem formam reducti sunt, processu stricte iudiciali in causis contra sacram ordinationem vitato, sive in Coetu a Studiis item « Speciali » mense Septembris 1981 coadunato, in quo canones ita digesti sunt, ut quae-

cumque amissio status clericalis quae dispensationem a caelibatu secumfert ac ipsa haec dispensatio Romano Pontifici reserventur. Haec profecto iis consona sunt, quae in Litt. Ap. « Episcopalis potestatis » (art. VIII, n. 1) praescribuntur, necnon declarationi, a Superiore Auctoritate habitae, ut circulares S. Congregationis pro Doctrina Fidei Litterae « De modo procedendi in examine et resolutione petitionum quae dispensationem a caelibatu respiciunt », a die 14 Octobris 1980 (AAS 1980, 1132-1137), pro universa Ecclesia valent.

TITULUS X

DE LAICIS

In Litt. Ap. « Cleri sanctitati » sectio « De Laicis » 31 canonibus constat (cann. 527-558), qui tamen omnes nonnisi de consociationibus christifidelium praescripta ferunt, tres sequentes canones si excipias:

can. 527 de iure laicorum recipiendi a clero spiritualia bona;

can. 528 de laicorum adiutrice opera in legibus christianis atque principiis doctrinae sociali catholicae propriis propugnandis;

can. 529 de prohibitione, laicis facta, habitum ecclesiasticum induendi.

Ad primum ex praedictis canonibus quod attinet, notandum est ipsum in schematis 66 canone (§ 2) sub capite de clericorum obligationibus, etsi alio modo, substantialiter retineri. De altero canone potiora in hoc titulo habentur, tertius vero canon ex iure communi, codicis silentio, ad ius particulare, si opus fuerit, transmittendus proponitur.

Omnes huius tituli canones « novi » dicendi sunt, plerumque ex Concilii Vaticani II documentis hausti. Fontes eorundem magis in particulari in *Nuntia* 5, pp. 40-44, indicantur, ubi lectori attento nonnulla etiam de opera Consultorum in hoc titulo schematis CICO peracta, latino sermone, concise referuntur. Hoc loco de duabus tantummodo animadversionibus indolis magis generalis, lectores morari liceat.

Non defuerunt qui exoptarent ut inducerentur in Codicem normae quibus iura fundamentalia hominis necnon iura atque obligationes omnibus christifidelibus communia pressius definirentur. Tandem vero sententia praevaluit ut de his in Codice nihil statuatur. Nam, iura fundamentalia hominis ad preambula omnis humanae ordinationis, canonica haud excepta, iura vero itemque obligationes omnibus christifidelibus communia ad preambula iuris canonici pertinere proindeque Codicem ipsum transcendere eius-

demque mensuram, absolute servandam, constituere, visum est. Quam ob rem haec ad praeter codicis normas, universam Ecclesiam obligantes, transferenda proponuntur.

Ad notionem *laici* quod spectat, animadvertendum est schema, ex Consultorum Coetus a studiis « De clericis » sodalium sententia, stricte iis adhaerere, quae a Vaticano II Concilio in Const. Dogm. « Lumen Gentium » (n. 31) necnon in Decreto « Apostolicam actuositatem » (nn. 2 et 7) statuta sunt, quae quidem Orientalium Ecclesiarum proprios de clericis, monachis et laicis conceptus summopere confirmant.

Definiuntur laici (cann. 88 et 89) non tantummodo considerato ordine sacro, quo plane clerici a laicis divina institutione distinguuntur, sed etiam attenta vocatione ipsis in Ecclesia propria. Hac vocatione laici non tantummodo a clericis, sed etiam, imo magis, a monachis ceterisque religiosis distincti in canonibus proponuntur. Ipsis enim « indoles saecularis propria ac peculiaris est » (LG 31), quapropter ii utpote vitae saecularis consortes missionem Ecclesiae participant salvificam atque ex vocatione propria, res temporales gerendo, Regnum Dei quaerere debent (schema cann. 89 et 90). Clerici « ex professo ad sacrum ministerium ordinantur », quamquam « aliquando in saecularibus versari possunt » (LG n. 31). Monachi ceterique Religiosi denique « testimonium reddunt, mundum transfigurari Deoque offerri non posse sine spiritu beatitudinum » (ib.), unde in iis indoles « a-saecularis » in castitate, paupertate atque oboedientia elucere debet.

Titulus XI

DE MONACHIS CETERISQUE RELIGIOSIS

Schema huius tituli in separato fasciculo ad Organa consultationis, die 29 Decembris 1980, transmissum est. Hic notetur locus pro hoc titulo selectus. Locus iste traditioni orientalium ex parte minus consonare videri potest, cum in ea generatim monachi laicis praeponantur. Re quidem vera, locus selectus est ratione habita Ordinis sacri quo clerici a ceteris christifidelibus iure divino distinguuntur, necnon attenta Domini perspicua sententia « recumbe in novissimo loco » tamquam unicuique Monacho vel Religioso singulisque Monasteriis, Ordinibus vel Congregationibus proposita.

TITULUS XII

DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS

Litterarum Apostolicarum « Cleri sanctitati » canones 530-547 « de fidelium consociationibus in genere » inscribuntur. Qui canones in hoc titulo recogniti sunt. Canones vero 548-558 earundem Litterarum Apostolicarum, « de fidelium consociationibus in specie » inscripti, omnibus Consultoribus qui hoc schema apparaverunt concordantibus, omissi sunt, sive quia nimis particulares normas continent, quae iuri particulari relinquendae videntur, principio « subsidiaritatis » servato, sive quia quaedam species Consociationum in his canonibus pdescriptae potius. Orienti extraneae existimari possunt.

De opera Consultorum in huius tituli canonibus formulandis relatio, latino sermone exarata, quae in *Nuntia* 5, pp. 44-47 exstat, vim suam servat, iis exceptis quae ibidem circa admissionem acatholicorum in Consociationes publicas dicuntur (pag. 46 can. 7 § 2), in abrogationem can 541 § 1 CS (« valide admitti nequeunt acatholici... » etc.). Nam in Coetu a studiis *Speciali,* mense Novembris 1980 habito, opinio praevaluit ea minus consonare cum charactere personae iuridicae in Ecclesia de quo in canone 101 § 2 schematis, et omnium membrorum consociationis obligationibus, quas inter obligatio de integritate fidei servanda, de qua in canone 105 § 1, primum locum obtinet. Qua tamen in re animadvertendum est, si admissio acatholicorum in publicas consociationes non sustinetur, prohibitionem in iure vigenti expressam, oecumenismi ratione, non retineri.

Maioris momenti mutatio iuris in canone 101 § 2, qui totum schema penitus afficit, proponitur. In tanta Consociationum huius temporis varietate opportunum videtur numerum earum, quae « publicae » vocantur ad eas tantummodo contrahi, quae iuridicam personam in Ecclesia habent. Canon 534 CS, qui statuit publicas consociationes, praeter decretum erectionis vel adprobationis de quo in can. 532, novo decreto formali indigere ut iuridicae personae in Ecclesia fiant, substituendus proponitur nova norma iuxta quam consociationes ipso facto legitimae erectionis vel adprobationis naturam induant iuridicae personae in Ecclesia.

Haec si in iure novo ita expresse statuantur, spes est Hierarchas in consociationibus publicis erigendis vel adprobandis cautissimos fore. Ad consociationes privatas autem quod attinet, Hierarchis media optima in canone 102 praebentur, ut eas laudibus prosequantur, omnibus commendent, atque, si casus fert, normas iuris particularis de iis statuant. Praeterea,

notandum est praescriptum iuris vigentis (CS can. 532 § 2) de vigilantia Hierarchae loci supra omnes Consociationes in suo territorio extantes adhuc magis in canone 105 schematis urgeri.

TITULUS IX

DE CLERICIS

Can. 1 (CS 38)

Clerici nuncupantur christifideles qui a Domino per Spiritum Sanctum vocati atque a competenti Auctoritate ecclesiastica electi, sacra ordinatione deputantur ut, in Christi Pastoris missione et potestate partem habentes, Ecclesiae sint ministri.

Can. 2 (CS 38)

Clerici ratione sacrae ordinationis distinguuntur in Episcopos, Presbyteros et Diaconos, qui omnes etiam ministri sacri vocantur.

Can. 3 (CS 38)

Clerici inter se in communione hierarchica iuncti et in variis gradibus constituti, unam Ecclesiae missionem ministerialem diversimode participant.

Can. 4 (CS 39)

Clerici in gradibus ordinis ipsa sacra ordinatione constituuntur; in gradibus vero potestatis regiminis canonica provisione ad normas iuris.

Can. 5 (CS 40)

Ubi praeter Episcopos, Presbyteros vel Diaconos, alii etiam ministri, ordine minore aucti et generatim clerici minores vocati, ad populi Dei servitium vel ad sacrae Liturgiae officia exercenda admittuntur vel instituuntur, iidem reguntur tantum iure particulari, nisi ex natura rei aliud constet.

Caput I

De institutione clericorum

Can. 6

Officium et ius quod Ecclesiae est proprium eos qui sese ad ministeria ecclesiastica praeparare cupiunt instituendi singulariter et impensius exercetur Seminariis constituendis et administrandis.

Can. 7

§ 1. Opus fovendarum vocationum ad ministeria ecclesiastica commune est omnium christifidelium communitati, quae pro sua corresponsabilitate sollicita sit oportet de necessitatibus ministerii universae quoque Ecclesiae:

1° curent parentes aliique vitae christianae primi educatores et magistri ut familiae et scholae ita spiritu evangelico animentur ut pueri et iuvenes Domino per Spiritum Sanctum vocanti et appellanti libere auscultare atque libenter respondere valeant;

2° Clerici, imprimis parochi memores canonis 65, studeant vocationes ministeriales sive in adolescentibus sive in aliis etiam provectioris aetatis rite dignoscere atque pie fovere;

3° Episcoporum praecipue est in vocationibus provehendis gregem suum excitare inceptaque coordinare necnon, uti opus est, coniunctis viribus cum aliis Hierarchis totius populi Dei actuosae conspiration providere.

§ 2. In iure particulari provideatur ut centra ad vocationes ministeriales provehendas sive regionalia sive, inquantum fieri potest, eparchialia in omnibus Ecclesiis condantur, quae centra aperta sint oportet ad universalis Ecclesiae necessitates, praecipue missionales.

Can. 8

Superiori cuiusque Ecclesiae sui iuris Auctoritati legislativae competit, firmo iure communi, normas de institutione clericali pro sua competentia edere, moderante in Ecclesia universali Romano Pontifice: itemque, firmo etiam iure a Superiori Auctoritate propriae Ecclesiae statuto, in sua eparchia Hierarchae loci. In Monasterio sui iuris eiusdem Monasterii Superiori; in ceteris vero Institutis vitae consecratae Superiori generali et in aliis Societatibus quibus clerici adscribuntur eorum Moderatoribus Supremis.

Can. 9

§ 1. Synodi Episcoporum vel Consilii Hierarcharum est edere *Rationem institutionis clericorum particularem* qua regantur Seminaria intra fines territorii eiusdem Ecclesiae; extra vero Hierarchae loci est conficere id generis Rationem eparchiae suae propriam, firmo canone NN § 2 *.

§ 2. Ubi visum fuerit haec Ratio potest esse communis toti regioni vel nationi vel imo Ecclesiis aliorum rituum consulto quin indoles rituum detrimentum capiat.

ART. I - *De Seminariis erigendis et regendis*

Can. 10

§ 1. In Seminario minore instituuntur sive ii qui vocationis clericalis indicia exhibere videntur quo facilius et clarius eam sibi dignoscere deditoque animo excolere valeant, sive ad normam iuris particularis etiam alii qui etsi se ad statum clericalem vocatos non aestimant ad quaedam officia ecclesiastica vel apostolatus opera implenda rite formari possunt; alia instituta iisdem finibus ex constituto inservientia, etsi nomine differant, Seminario minori aequiparantur.

§ 2. In Seminario maiore plenius excolitur, probatur atque confirmatur vocatio eorum qui certis signis idonei iam aestimantur ad ministeria ecclesiastica stabiliter suscipienda.

Can. 11

§ 1. Seminarium minus erigatur in unaquaque eparchia, si id postulat bonum Ecclesiae et vires opesque sinunt.

§ 2. Constituendum est Seminarium maius quod inserviat aut uni amplissimae eparchiae aut potius, si non toti Ecclesiae sui iuris, saltem, conventionibus initis, pluribus eparchiis eiusdem ritus, immo et diversi ritus, eiusdem regionis vel nationis, ita ut tum congruo alumnorum numero tum ea qua par est moderatorum ac magistrorum probe paratorum copia, necnon subsidiis sufficientibus optimisque viribus coniunctis, institutioni provideatur cui nihil desideretur.

---

* Refertur ad § 2 canonis qui in *Nuntia* 6, pag. 33 in suo primo schemate inveniri potest.

Can. 12

Quamquam optandum est ut unico ritui unumquodque Seminarium, praecipue minus, reservetur, ob peculiares circumstantias in eodem Seminario, praesertim maiore, candidati aliorum rituum admitti possunt.

Can. 13

§ 1. Seminarium pro propria eparchia canonice erigitur ab Episcopo eparchiali; Seminarium pro pluribus eparchiis vel etiam commune cum Institutis vitae consecratae ab Hierarchis quorum interest vel ab Auctoritate eisdem Hierarchis superiori, tamen de consensu Consilii Hierarcharum si de Metropolita agatur aut de consensu Synodi Episcoporum si de Patriarcha.

§ 2. Hierarchae pro quorum subditis Seminarium commune erectum est nequeunt aliud Seminarium valide condere sine consensu Auctoritatis quae Seminarium commune erexit aut, si de Seminario ab ipsis Hierarchis quorum interest erecto agatur, sine unanimi consensu partium convenientium vel sine consensu earundem immediati Hierarchae.

Can. 14

§ 1. Seminarium canonice erectum ipso iure personalitate iuridica gaudet in Ecclesia.

§ 2. Nisi ius particulare vel statuta Seminarii aliud statuant Rector personam gerit Seminarii.

Can. 15

§ 1. Seminarium pluribus eparchiis commune regimini subicitur Hierarchae ab iis qui Seminarium erexerunt designati.

§ 2. Exemptum a regimine paroeciali Seminarium esto: et pro omnibus qui in Seminario sunt parochi officium, excepta materia matrimoniali et firmo praescripto canonis 64 § 3 schematis « De cultu divino.. », obeat Seminarii Rector eiusve delegatus.

Can. 16

§ 1. Quodlibet Seminarium propria statuta habeat, in quibus definiantur imprimis scopus peculiaris Seminarii necnon competentia auctoritatum et statuantur moderatorum, officialium et magistrorum seu professorum necnon consiliorum modus nominationis vel electionis, duratio in officio, obligationes et iura atque iusta retributio, firmo iure communi.

§ 2. Statuta Seminarii approbatione indigent Hierarcharum de quibus in canone 13 § 1, quibus solis competit, si casus fert, ea mutare.

Can. 17

§ 1. Rectoris est, ad normam statutorum, generale Seminarii moderamen curare, eorundem statutorum directoriique Seminarii ab omnibus observationi instare, opera aliorum moderatorum et officialium coordinare totiusque Seminarii unitatem ac collaborationem fovere.

§ 2. Vice-Rector, si adsit, habeat eam in statutis definitam competentiam.

§ 3. Adsit quoque saltem unus Pater spiritualis, praeter quem quemlibet alium sacerdotem, a Rectore ad id approbatum, alumni libere petere valeant, firmo canone 30.

§ 4. Insuper adsint oportet Praefectus Studiorum et Moderator seu Praefectus exercitationum pastoralium.

§ 5. Inter officiales maiores sint Praefectus Disciplinae seu vitae in commune Seminarii ordinandae, Oeconomus, Bibliothecarius, Secretarius.

Can. 18

§ 1. Cuilibet Seminario sat copioso praesto sint consilia seu coetus deputatorum:

1° Consilium Rectoris, includens aliquos alios moderatores necnon eos ex corpore docente vel etiam, ad normam statutorum, ex alumnis electos vel nominatos, Rectori consilium praestaturos;

2° Consilium seu coetus deputatus de re oeconomica, includens Oeconomum et alios sive clericos sive laicos in re oeconomica peritos.

§ 2. Alia Consilia, sicut Consilium pro Disciplina, in Statutis provideri possunt, ubi visum erit.

Can. 19

In Seminario modestioris conditionis cum paucioribus alumnis, officia et consilia cumulari vel ad pauciora redigi imo omitti poterunt; numquam autem praetermissis officiis Rectoris et Patris spiritualis pro quibus habeantur distincti moderatores.

Can. 20

Seminarium habeat proprium Directorium ab Hierarchis de quibus in canone 13 § 1 approbatum, quo normae *Rationis institutionis clericorum*

particularis adiunctis peculiaribus accomodatae, in effectum ducantur necnon pressius definiantur ea praesertim officiorum ac potiora disciplinae capita quae ad normam Statutorum institutionem alumnorum ac vitam cotidianam totiusque Seminarii ordinem spectant.

Can. 21

§ 1. Hierarcharum de quibus in canone 13 § 1 est curare ut provideatur Seminarii expensis etiam per tributa vel collectas de quibus in canonibus 82 et 85 schematis « De normis generalibus et de bonis Ecclesiae temporalibus ».

§ 2. Tributo pro Seminario obnoxia sunt etiam Monasteria ceteraeque domus religiosae quamvis exempta, nisi solis eleemosynis sustententur aut in eis collegium studiorum actu habeatur.

§ 3. Alumnorum sustentationi eorundem Hierarchae curare tenentur.

Can. 22

Foveatur cooperatio cum aliis Seminariis similibusve institutis sive catholicis sive non, secundum normas *Rationis institutionis clericorum particularis,* maxime cum illis propinquis.

ART. II - *De institutione ad ministeria*

Can. 23

§ 1. In Seminario si cursus tradendarum disciplinarum instituuntur, adsit congruus numerus magistrorum seu professorum, in sua quisque disciplina vere peritorum, in Seminario maiore quidem congruis gradibus academicis ornatorum.

§ 2. Praeparatione propria constanter ad diem perducta, conferant iidem et inter se et cum Seminarii moderatoribus concorditer cooperantes ad integram futurorum pastorum institutionem, inter varietates disciplinarum unitati fidei ac formationi intenti.

Can. 24

§ 1. Ii tantum in Seminarium admittantur candidati qui probantur ex documentis ad normam statutorum requisitis habiles esse.

§ 2. Nemo recipiatur candidatus clericalis nisi certo constat de susceptis sacramentis baptismi et chrismationis sancti myri.

§ 3. Qui prius in alio Seminario vel in aliquo Instituto vitae consecratae degerint ne admittantur nisi insuper obtento testimonio Superiorum de causa dimissionis vel discessus.

Can. 25

§ 1. In Seminario minore degentes alumni adolescentes et iuvenes congruentem servent consuetudinem cum propriis familiis et aetate aequalibus, qua indigent ad sanam evolutionem psychologicam, praesertim affectivam; sedulo autem vitentur omnia quae secundum sanas psychologiae et paedagogiae normas liberam electionem status quocumque modo minuere possint.

§ 2. Apta moderatione spirituali adiuti assuescant alumni ad decisiones personales et responsabiles in luce evangelii faciendas et ad suas varias facultates iugiter excolendas, non praetermissis ullis virtutibus humanae naturae congruentibus.

§ 3. Curriculum studiorum Seminarii minoris comprehendat ea quae in unaquaque natione ad studia academica seu superiora inchoanda requiruntur et, in quantum possibile, etiam ea quae ad ecclesiastica ministeria suscipienda necessaria vel utilia sunt. Communiter curetur ut alumni civilem studiorum titulum consequantur, ut studia etiam alibi prosequi possint si ad id eligendum perventum erit.

§ 4. Alumni provectioris aetatis instituantur sive in Seminario sive in Instituto peculiari, accommodatis normis supra §§ 1-3 datis, ratione habita etiam praecedentis uniuscuiusque formationis.

Can. 26

§ 1. Si in Seminario, praesertim maiore, pro numero alumnorum utiliter constituantur sive in eodem aedificio sive in aedibus propinquis coetus distincti cum proprio Praefecto ut cuique magis consulatur, curandum tamen omnino est ut unitas formationis et regiminis servetur nec vita in commune Seminarii detrimentum capiat.

§ 2. Superior Auctoritas legislativa cuiusque Ecclesiae sui iuris normas statuat secundum quas alumni extra Seminarium sive in propriis familiis sive alibi, praesertim studiorum causa, commorari possunt.

Can. 27

Institutio alumnorum in Seminario maiore perficiatur, suppletis iis quae forte in singulis casibus institutioni Seminario minori propria defuerunt, formatione spirituali, intellectuali et pastorali inter se integrantibus, ita ut

efficiantur ministri Christi in medio Ecclesiae, lux et sal mundi huius temporis.

Can. 28

§ 1. Alumni, etsi in Seminario diversi ritus vel plurirituali inscripti, proprio eorum ritu instituantur, reprobata quavis contraria consuetudine.

§ 2. Dum sint tali Seminario adstricti, clerici alumnorum ritu uti possunt ad normam statutorum.

Can. 29

§ 1. Ad sacra ministeria adspirantes formentur in Spiritu Sancto consortium familiare cum Christo colere et in omnibus Deum quaerere, ita ut Christi pastoris caritate impulsi omnes homines dono suae ipsius vitae regno Dei lucrifacere solliciti evadant.

§ 2. Ex Dei Verbo et Ecclesiae Mysteriis seu sacramentis imprimis, directione spirituali, vim pro sua vita spirituali et apostolico labore robur in dies hauriant:

1° verbi Dei vigili atque constanti meditatione et iuxta Patres fideli illustratione, assuescant alumni ad suam vitam magis vitae Christi configurandam et, in fide, spe et caritate firmati, se exerceant ad vivendum secundum formam Evangelii;

2° participent assidue Eucharisticae celebrationi, quae appareat et Seminarii vitae sicut est totius vitae christianae fons et culmen;

3° laudes divinas iugiter celebrare iuxta proprium ritum addiscant et ex iis vitam spiritualem alant;

4° Beatissimam Virginem Mariam, quae a Christo Jesu discipulo dilecto Mater data est, filiali pietate prosequantur;

5° foveantur quoque pietatis exercitia sive quae imprimis a veneranda propriae Ecclesiae traditione commendata sunt sive quae, secundum *Rationem institutionis clericorum particularem* ad spiritum orationis vocationisque apostolicae robur ac munimen conducant, qualia sunt recessus spiritualis et instructio de sacris ministeriis et exhortatio in via spiritus;

6° ad sensum Ecclesiae et servitii eius educantur alumni necnon ad virtutem oboedientiae et ad sociam cum fratribus cooperationem;

7° ad ceteras quoque virtutes vocationi suae maxime conferentes adiuventur sicut discretio spirituum, castitas, animi fortitudo; et in universum illas virtutes aestiment atque excolant quae inter homines pluris fiunt et Christi ministrum commendant, cuiusmodi sunt animi sinceritas, assidua iustitiae cura, spiritus paupertatis, promissis servata fides, in agendo urbanitas, in colloquendo modestia cum caritate coniuncta.

§ 3. Disciplinares Seminarii normae iuxta alumnorum maturitatem ita applicentur ut ipsi, dum gradatim sibimetipsis moderari addiscant, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere assuescant.

Can. 30

§ 1. Praeter confessarios ordinarios alii quoque sint designati vel invitati, integro alumnorum iure quemlibet confessarium etiam extra seminarium, salva disciplina, petendi.

§ 2. In iudicandis personis, nefas est confessariorum vel Patrum spiritualium votum exquirere.

Can. 31

Institutio doctrinalis eo tendat ut alumni cultura generali loci et temporis callentes ingeniique humani conata atque peracta scrutantes, amplam atque solidam doctrinam in scientiis sacris acquirant, ita ut fidei pleniore intellectu eruditi atque firmati Christi magistri luce homines huius aetatis efficacius illuminare atque veritati inservire valeant.

Can. 32

§ 1. Studia Seminarii maioris, firmo canone 27, complectantur cursus philosophico-theologicos, sive simultaneos sive successivos, qui cursibus philosophicis saltem biennium adaequantibus, insimul ad minus sexennium comprehendant, et ordinentur ad normam *Rationis institutionis clericorum particularis*.

§ 2. Cursus philosophico-theologici initium sumant introductione in mysterium Christi et historiam salutis nec concludantur quin ostendatur, ratione habita hierarchiae veritatum, omnium disciplinarum inter se relatio atque cohaerens compositio.

Can. 33

§ 1. Philosophica institutio eo tendat ut formationem in scientiis humanis perficiat; unde, ratione habita sapientiae tum antiquae tum recentis aetatis sive universae familiae humanae sive praesertim propriae culturae, quaeratur imprimis patrimonium philosophicum perenniter validum; et ita tradantur cursus ut alumni discretione intellectuali acuta, vera et falsa facilius secernere valeant, et, mente Deo loquenti aperta, theologicas investigationes etiam systematice prosequi possint, et aptiores fiant ad ministeria

obeunda. colloquio inito cum excultis quoque hominibus huius temporis.

§ 2. *Rationis institutionis clericorum particularis* est pressius statuere disciplinas tradendas, tum historicas tum systematicas scientiasque iis affines et breviter indicare conspectum singularum disciplinarum programmatis.

Can. 34

§ 1. Disciplinae theologicae, in lumine fidei, sub Ecclesiae magisterii ductu ita tradantur ut alumni doctrinam catholicam ex divina Revelatione haustam profunde penetrent atque in sua cultura rite exprimant ita ut sit et alimentum propriae vitae spiritualis et ad ministerium efficacius obeundum perutile instrumentum.

§ 2. Universae theologiae veluti anima sit oportet Sacra Scriptura, quae omnes disciplinas sacras informare debet; unde doceantur praeter exegeseos accuratam methodum capita historiae salutis principalia necnon potiora themata theologiae biblicae.

§ 3. Usquedum unitas quam Christus Ecclesiae suae vult adhuc non plene in actum deducta erit, oecumenismus vim exercere debet ad omnem theologicam disciplinam ut una ex necessariis eius rationibus.

§ 4. Studiis theologicis saltem integrum quadriennium tribuatur; si vero curriculum praelectionum triennio absolvitur, quarto anno incumbant alumni vel ad gradum academicum in scientiis sacris comparandum vel ad profundiorem indaginem specialium quaestionum vel, apto programmate ducti, ad variorum cursuum inter se integrationem vel denique formationem praecipue pastoralem.

§ 5. *Rationis institutionis clericorum particularis* est pressius statuere normas de disciplinis theologicis principalibus sicuti theologia dogmatica sive positiva sive speculativa seu systematica etiam Occidentis, liturgia, theologia moralis, spiritualis, et pastoralis, historia ecclesiastica et ius canonicum; de disciplinis specialibus, sicuti missiologia et oecumenismus.

Can. 35

§ 1. Professores sacrarum disciplinarum vestigia sanctorum Patrum ac ab Ecclesia collaudatorum Doctorum praesertim Orientis secuti, ex praeclaro thesauro ab iisdem tradito doctrinam illustrare nitantur.

§ 2. Quamquam in investiganda et exprimenda veritate vera libertate gaudeant oportet, magistri tamen cum in nomine Ecclesiae doceant prius doctrinam ab ipsa propositam fideliter tradant quam proprias vel minus certas explicationes, et in omnibus constanti Ecclesiae magisterio ac moderationi humiliter obsequantur.

Can. 36

Exigendum est ut de profectu in studiis alumni statis temporibus rationem reddant per colloquia, scriptas dissertationes et examina.

Can. 37

§ 1. Formatio stricte pastoralis adaptanda est secundum normas *Rationis institutionis clericorum particularis* tum ad loci et temporis conditiones tum ad aptitudines alumnorum sive caelibum sive coniugatorum tum ad necessitates ministeriorum ad quae sese praeparant.

§ 2. Instituantur alumni imprimis in arte catechetica et homiletica, celebratione liturgica, administratione paroeciae, dialogo evangelizationis non solum cum non credentibus vel non christianis sed et cum christifidelibus minus fervidis, apostolatu sociali et communicationis socialis instrumentorum non posthabitis disciplinis auxiliaribus sicut psychologia et sociologia pastoralis.

§ 3. Etsi sese praeparant alumni ad ministeria in Ecclesia proprii ritus obeunda ad spiritum vere catholicum formentur quo ubicumque terrarum ultra propriam eparchiam vel ritum in servitium animarum occurrere animo parati sint; edoceantur ideo de universalis Ecclesiae necessitatibus, sed praesertim de apostolatu oecumenismi et evangelizationis.

Can. 38

Ut opportunum est, ad normam *Rationis institutionis clericorum particularis* habeantur exercitationes et probationes ad formationem praecipue pastoralem firmandam conferentes, sicut servitium sociale vel caritativum, magisterium catecheticum, praesertim vero tirocinium pastorale decursu formationis philosophico-theologicae, et tirocinium diaconale ante ordinationem presbyteralem.

Can. 39

In programanda institutione sive theologica sive pastorali ratio habeatur quod post Seminarium formatio continuanda et ad diem perducenda est; et ad hunc finem Seminarii quoque partes ab iis de quibus in canone 13 § 1 opportune stabiliantur.

Can. 40

Institutio diaconis et aliis ministris ad presbyteratum non destinatis propria ex normis supra datis adaptetur et pressius statuatur a *Ratione institutionis clericorum particulari.*

Can. 41

§ 1. De formatione alumnorum relationem mittat Rector singulis annis ad eorundem Hierarchas; de statu autem Seminarii ad eos de quibus in canone 13, § 1.

§ 2. Hierarchae suorum alumnorum formationi consulturi frequenter Seminarium visitent, maxime cum agitur de promovendis ad ordines sacros.

§ 3. Ordinandi tempestive edoceantur de obligationibus clericorum atque ad eas laeto animo suscipiendas ac implendas educentur.

Caput II

De adscriptione clericorum alicui eparchiae

Can. 42 (CS 44, 52)

§ 1. Quilibet clericus debet esse qua clericus adscriptus aut alicui eparchiae vel exarchiae vel Monasterio sui iuris vel Instituto vitae consecratae aut Societati quae sive a Sancta Sede sive a superiore cuiusque Ecclesiae sui iuris Auctoritate clericos adscribendi facultatem adepta est.

§ 2. Quod de clericorum alicui eparchiae adscriptione ab eaque dimissione dicitur in canonibus qui sequuntur valet, mutatis mutandis, etiam de aliis supradictis personis iuridicis necnon, iure particulari ita ferente, de ipsa Ecclesia patriarchali, nisi quid expresse cautum fuerit.

Can. 43 (CS 45)

Per ordinationem diaconalem aliquis qua clericus adscribitur eparchiae pro cuius servitio ordinatur nisi ad normam iuris particularis eidem eparchiae iam adscriptus fuerit, salvis iis normis quae sequuntur.

Can. 44 (CS 46)

Monasterio sui iuris ceterisque Institutis vitae consecratae, exceptis Institutis saecularibus nisi et ipsi facultate sibi clericos adscribendi gaudent, adscriptio clerici fit ipsa diaconali ordinatione vel, in casu clerici alicui eparchiae iam adscripti, professione vel cooptatione definitiva.

Can. 45 (CS 47)

Transcriptio clerici ab una eparchia ad aliam efficitur, obtentis litteris dimissionis, per decretum Hierarchae huius eparchiae, salvo canone 43.

Can. 46

§ 1. Transmigratio clerici in aliam eparchiam, retenta adscriptione, fit ad tempus praefinitum, etiam pluries renovandum, per conventionem scriptam inter utrosque Hierarchas, qua iura et officia clerici transeuntis vel partium stabiliantur.

§ 2. Quinquennio elapso post legitimam transmigrationem, clericus ipso iure eparchiae hospiti transcribitur, si, hac sua voluntate utrique Hierarchae in scriptis manifestata, neuter ipsi contrariam mentem intra quattuor menses scripto significaverit.

Can. 47

Clericis, praesertim evangelizationis causa Ecclesiae universalis sollicitis, transitus vel transmigratio ad aliam eparchiam, gravi cleri inopia laborantem, ne denegetur, dummodo sint ad ministeria ibi peragenda parati atque apti, nisi pro vera necessitate propriae eparchiae vel Ecclesiae particularis.

Can. 48 (CS 86)

§ 1. Iusta de causa clericus ex transmigratione in eparchiam propriam revocari potest a Hierarcha proprio vel remitti ab Hierarcha hospite, naturali aequitate servata necnon conventionibus initis.

§ 2. Ex transmigratione in propriam eparchiam legitime redeunti salva et tecta sint omnia iura quibus gauderet si in ea sacro ministerio addictus fuisset.

Can. 49 (CS 48)

Clericum eparchiae adscribere vel ab ea dimittere vel licentiam transmigrandi ipsi concedere valide nequeunt:

1° Syncellus sine mandato speciali;

2° in Ecclesiis patriarchalibus, Administrator Ecclesiae patriarchalis ad tempus constitutus, sine consensu Synodi permanentis, Exarchus patriarchalis et Administrator eparchiae vacantis, sine consensu Patriarchae;

3° Extra Ecclesias patriarchales, Exarchus archiepiscopalis sine consensu Archiepiscopi, Administrator eparchiae vacantis, nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et de consensu consultorum eparchialium.

Can. 50 (CS 50)

§ 1. Adscriptio clerici alicui eparchiae non cessat nisi per factam in altera eparchia validam adscriptionem.

§ 2. Ad licitam transcriptionem vel transmigrationem requiruntur iustae causae quales sunt Ecclesiae utilitas vel bonum ipsius clerici; licentia autem ne denegetur nisi extantibus gravioribus causis.

§ 3. Iure particulari ita ferente ad licitam transcriptionem ad eparchiam Ecclesiae alterius ritus requiritur etiam ut Hierarcha clericum dimittens consensum Superioris Auctoritatis Ecclesiae ritus ad quem clericus pertinet, obtineat.

Can. 51 (CS 51)

§ 1. Hierarcha suae eparchiae alienum clericum ne adscribat, nisi:

1° necessitas aut utilitas eparchiae id exigat, et salvis iuris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum;

2° ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima dimissione ex eparchia, et habuerit praeterea a curia dimittente, sub secreto, si opus sit, de curriculo vitae ac moribus clerici opportuna testimonia;

3° sibi constiterit de aptitudine clerici ad ministeria peragenda praesertim cum agitur de adoptione novi ritus;

4° clericus scripto declaraverit se eparchiae hospitis servitio devovere ad normam iuris.

§ 2. Hierarcha de peracta transcriptione priorem Hierarcham quantocius certioren reddat.

Caput III

De obligationibus et iuribus clericorum

Can. 52

Clerici primum habent officium Regnum Dei omnibus evangelizandi et amorem Dei erga homines verbo, sacramento et vita repraesentandi, ita ut omnes invicem et super omnia Deum diligentes in corpus Christi quod est Ecclesia aedificentur atque crescant.

Can. 53 (CS 60)

Ad perfectionem quam Christus suis discipulis proponit peculiari ratione tenentur clerici, eo quod Deo in Ordinis receptione novo modo sunt consecrati, ut Christi aeterni Sacerdotis in servitium populi Dei aptiora instrumenta efficiantur et simul sint gregi forma exemplaris.

Can. 54 (CS 61, 62)

§ 1. Clerici lectioni et contemplationi verbi Dei quotidie incumbant ita ut, Verbi auditores fideles atque attenti facti, veraces ministri sermonis evadant; in oratione, in celebrationibus Liturgicis et praesertim in devotione erga Mysterium Eucharistiae, assidui sint; conscientiam suam quotidie discutiant et Sacramentum Paenitentiae frequenter recipiant; Deiparam Virginem colant et ab ea gratiam sese conformandi eius Filio implorent aliaque propriae Ecclesiae exercitia pietatis peragant.

§ 2. Directionem spiritualem magni faciant et statutis temporibus iuxta iuris particularis praescripta recessibus spiritualibus vacent.

Can. 55 (CS 63, 64)

§ 1. Clerici Hierarchae proprio, qui munus patris et pastoris in dilectione et sollicitudine erga omnes exercet, reverentiam et oboedientiam exhibere tenentur.

§ 2. Si quando tamen gravi incommodo impediti quin obtemperent excusari se existimant, re coram Domino sincere perpensa, rationes suas Hierarchae per modum dialogi exponant, ut ipse, omnibus aperto animo consideratis, mandatum urgere vel revocare valeat, integra manente via recursus ad normam iuris ei qui se adhuc gravatum putet.

Can. 56 (CS 64)

§ 1. Ius habent clerici obtinendi a proprio Hierarcha, praemissis iure requisitis, aliquod ministerium vel officium in servitium Ecclesiae exercendum.

§ 2. Suscipiendum est clericis ac fideliter implendum omne munus a proprio Hierarcha commissum quandocumque id, eiusdem Hierarchae iudicio, exigat Ecclesiae necessitas.

Can. 57 (CS 65, 66, 67)

§ 1. Institutione clericali peracta, in sacras disciplinas incumbere ne desinant clerici, immo profundiorem et ad diem accommodatam earum cognitionem et usum acquirere satagant per cursus formativos a proprio Hierarcha approbatos.

§ 2. Ad normam iuris particularis frequentent quoque conventus seu collationes quas Hierarcha opportunas iudicaverit ad scientias sacras et res pastorales promovendas.

§3. Profanarum quoque scientiarum earum praesertim quae cum sacris disciplinis arctius cohaereant, talem sibi copiam comparare ne negligant, quam excultos homines habere decet.

Can. 58 (CS 68)

Dum ubique permagni faciendus est clericorum caelibatus propter regnum coelorum delectus et multimodis sacerdotio conveniens prout fert Ecclesiae universalis traditio, item status clericorum matrimonio iunctorum Ecclesiae primaevae et saeculari Ecclesiarum Orientalium praxi sancitus in honore habendus est.

Can. 59 (CS 73, 74)

Clerici, tum caelibes quam coniugati castitatis decore elucere debent; iuris particularis est statuere opportuna media ad hunc finem obtinendum adhibenda.

Can. 60

In vita familiari ducenda atque prole educanda clerici coniugati ceteris christifidelibus praeclarum exemplum praebeant.

Can. 61 (CS 75)

Consuetudo vitae communis inter clericos caelibes laudanda, quantum fieri potest, foveatur ut ipsi in vita spirituali et intellectuali colenda mutuo adiuventur at aptius in ministerio cooperari valeant, necnon a periculis solitudinis forte oriundis tutius serventur.

Can. 62 (CS 76)

Clerici omnes celebrent iuxta propriae disciplinae praescripta et traditiones Laudes Divinas.

Can. 63

Ad normam iuris particularis clerici Divinam Liturgiam frequenter celebrent, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto.

Can. 64

Clerici confratribus cuiuslibet ritus vinculo caritatis uniti ad unum omnes, aedificationem nempe Corporis Christi, conspirent, et proinde sive

eparchiales sive sodales Institutorum vitae consecratae etsi diversis officiis fungentes, inter se cooperentur seseque invicem adiuvent.

Can. 65

Sollicitudinem habeant clerici omnes, praesertim presbyteri, vocationes sacerdotales et religiosas promovendi non solum praedicatione, catechesi, aliisve opportunis mediis sed imprimis vitae ac ministerii testimonio.

Can. 66 (CS 527)

§ 1. Zelo apostolico ardentes clerici omnibus exemplo sint in beneficientia et hospitalitate praesertim erga fratres aegrotantes, afflictos, persecutionem patientes et exiliatos.

§ 2. Obligatione tenentur clerici, nisi iusto impedimento detenti, christifidelibus legitime petentibus suppeditandi ex spiritualibus Ecclesiae bonis verbi Dei praesertim et sacramentorum adiumenta.

§ 3. Clerici laicorum dignitatem atque propriam quam in missione Ecclesiae habent partem agnoscant et promoveant praesertim cum charismata laicorum multiformia probantes tum competentiam et experientiam eorum in bonum Ecclesiae vertentes, speciatim modis a iure praevisis.

Can. 67 (CS 79, 80, 81)

Abstineant prorsus clerici ab iis omnibus quae statum suum, secundum normas iure particulari pressius definitas, dedecent et etiam evitent ea quae ab eo aliena sunt.

Can. 68 (CS 80, 56)

§ 1. Etsi clerici non secus ac ceteri cives iuribus civilibus et politicis aequo iure gaudeant oportet, officia tamen publica a statu clericali aliena, quae exercitium potestatis civilis secumferunt ne assumant, nisi ab auctoritate Status sunt adstricti; neve praetermittant exemptiones lege civili concessas vel forte in conventione cum competente auctoritate ecclesiastica ab eadem agnitas, nisi in casibus particularibus aliter decreverit Hierarcha proprius.

§ 2. Ab hac quidem regula de qua in § 1 dispensare valet solummodo Sancta Sedes in favorem Episcoporum et Patriarcha, audita Synodo permanenti, in favorem aliorum clericorum.

Can. 69 (CS 82)

Ministri reconciliationis omnium in Christi caritate, satagant clerici concordiam et unitatem inter homines fovere divisionumque pericula praecavere; neve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquomodo ferant.

Can. 70 (CS 82)

Clerici militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Hierarchae licentia, firmo quoad exemptiones praescripto canonis 68 § 1.

Can. 71 (CS 80)

Prohibentur clerici quominus actuose pro aliqua factione politica militent, nisi id in extraordinariis rerum adiunctis bono communitatis postuletur, de consensu quidem proprii Hierarchae, auditis consultoribus eparchialibus et, si casus ferat, etiam Patriarchae consulta Synodo permanenti.

Can. 72 (CS 83, 78)

§ 1. Spiritu paupertatis Christi imbuti clerici studeant simplicitate vitae supernorum bonorum coram mundo testes esse, bonaque temporalia discretione spirituali recto usui destinent; bona autem quae occasione exercitii officii ecclesiastici vel ministerii sibi comparant, provisa sua ex eis honesta sustentatione et officiorum proprii status adimpletione, operibus apostolatus vel caritatis impertiant atque communicent.

§ 2. Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, nisi de licentia Superioris uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris Auctoritatis.

§ 3. A fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto proprio Hierarcha.

Can. 73 (CS 84)

§ 1. Ex ordinaria rei ratione clerici tribuant ministerio sacro seu officio proprio tempus plenum vel saltem praestantius, neque ab eo absint sine licentia proprii Hierarchae, ultra tempus a iure particulari definitum.

§ 2. In casibus vero peculiaribus et gravi de causa clerici, ex licentia proprii Hierarchae, auditis consultoribus eparchialibus, professionem civilem, etiam pleno tempore, exercere possunt, firmis canonibus 67 et 68.

Can. 74 (CS 87)

Clericus peregre per tempus non breve commoraturus peregrem Hierarcham quamprimum certiorem faciat atque eius auctoritati et vigilantiae subiectus maneat.

Can. 75 (CS 77)

Quod ad vestis habitum spectat ius particulare servetur.

Can. 76 (CS 41, 42)

§ 1. Clerici iuribus et insignibus, quae adnexa sunt titulis praelatitiis honoris causa ipsis concessis, uti non possunt extra territorium Hierarchae qui titulum concesserit, nisi aut eundem Hierarcham comitentur vel eiusdem personam sustineant aut consensum Hierarchae loci obtinuerint.

§ 2. Iidem tituli si conceduntur clericis ritus diversi a ritu ipsius concedentis vel clericis alienae eparchiae, tribuunt nonnisi ius deferendi insignia in liturgicis caeremoniis ritus eiusdem concedentis.

Can. 77 (CS 55

Clerici quaslibet controversias evitare studeant; si tamen quaedam exsurgerit sive inter eos sive cum aliis christifidelibus curent ut, inquantum fieri potest. ea in foro Ecclesiae dirimatur.

Can. 78 (CS 59)

§ 1. Clerici ius habent ad honestam sustentationem et ideo pro implendo sibi commisso officio remunerationem percipiendi iustam et aequam, quae, si agitur de clericis coniugatis, consulere debet etiam eorum familiae sustentandae, nisi aliter iam sufficienter provisum est.

§ 2. Item habent ius ut provideatur suae congruenti praecaventiae et adsistentiae sanitariae et ut prospiciatur temporibus infirmitatis, invalidatis aut senectutis.

§ 3. Ut autem ius de quo in § 2 ad effectum deduci possit obligatione tenentur clerici instituto necnon massae communi ad normam iuris, pro sua parte conferre.

Can. 79

Integrum est clericis sese cum aliis consociare ad fines consequendos statui clericali congruentes; competit autem Hierarchae de hac congruentia authentice iudicare.

Can. 80

Ius eorum est ad debitum quotannis feriarum tempus, iure particulari determinandum.

Can. 81

Clericis, etsi alicui Ecclesiae sui iuris vel communitati vitae consecratae addictis, cordi sit sollicitudo omnium Ecclesiarum et ideo se ad inserviendum, ubicumque gravis urget necessitas, promptos exhibeant et praesertim, permittente vel exhortante proprio Hierarcha, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum.

Caput IV

De amissione status clericalis

Can. 82 (CS 155)

Clericus statum clericalem amittit:

1° decreto quo invaliditas sacrae ordinationis declaratur ad normam canonum NN * schematis « De Processibus »;

2° poena depositionis de qua in canone 35 §2 schematis « De sanctionibus poenalibus in Ecclesia »;

3° ad instantiam ipsius clerici concesso rescripto Sedis Apostolicae vel, ad normam canonis 85 § 2, Patriarchae: quod vero rescriptum diaconis ob graves tantum causas, presbyteris vero ob gravissimas a Sede Apostolica conceditur et a Patriarcha concedi potest.

Can. 83 (CS 157)

Clericus qui statum clericalem ad normam iuris amittit, cum eo amittit iura statui clericali propria, officia ecclesiastica atque dignitates ecclesiasticas, nec ullis adstringitur obligationibus statui clericali propriis, firmo tamen canone 84.

* Refertur ad canones Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » 501-502, in schemate « De processibus » opportune recognitis.

Can. 84

Praeter casus de quibus in canone NN ** schematis « De processibus », amissio status clericalis non secumfert dispensationem ab obligatione caelibatus, quae ab uno tantum Romano Pontifice conceditur, firmo tamen praescripto canonis 134 schematis « De cultu divino... ».

Can. 85 (CS 155)

§ 1. Amissio a statu clericali quae a clericis obligatione caelibatus adstrictis petitur Romano Pontifici reservatur.

§ 2. Clerici obligatione caelibatus non adstricti atque intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis domicilium vel quasi-domicilium habentes obtinere possunt amissionem a statu clericali a Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum vel, si periculum in mora adsit, Synodi permanentis.

Can. 86

Non licet clerico, dimissione ex ordine sacro petita et licentia ab auctoritate competenti nondum obtenta, quodvis sacrum ministerium interim exercere vel ullo officio ecclesiastico fungi nisi Hierarcha, pro suo prudenti iudicio, in singulis casibus aliter statuerit; obligationibus tamen statui clericali propriis adstringitur.

Can. 87 (CS 156)

Qui rescripto Sanctae Sedis statum clericalem amiserit inter clericos ab una Sancta Sede denuo admitti potest aut dispensari ut ad officia ecclesiastica assumi possit, ceteri vero a Superiore Auctoritate uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris.

Titulus X

DE LAICIS

Can. 88

Nomine laicorum in hoc codice intelliguntur christifideles qui, vitae saecularis consortes, missionem Ecclesiae participant salvificam cuius in mu-

** Refertur ad primum canonem ex iis de quibus in nota praecedenti.

neribus exercendis propriam habent partem neque ordine sacro insigniti neque statui monastico vel religioso adscripti.

Can. 89

Laicorum praeprimis est, ex vocatione propria, res temporales gerendo Regnum Dei quaerere, ideoque in vita privata, familiari, sociali atque politica testes Christo esse ac ipsum aliis manifestare, leges iustas in societate propugnare, atque fide, spe et caritate fulgentes, fermenti instar, ad mundi sanctificationem conferre.

Can. 90

In rebus civitatis terrenae, ius est laicis ut ipsis agnoscatur responsabilitas personalis ac libertas, quae omnibus civibus competit, iuxta eorum conscientiam doctrina Ecclesiae recte formatam.

Can. 91

§ 1. Ipsius baptismi ratione laici ius et obligationem habent ut actuose in celebrationibus liturgicis participent.

§ 2. Firmo canone NN * de iure et obligatione proprium ritum ubicumque observandi, laici ipso iure facultate etiam gaudent ut actuose in celebrationibus liturgicis cuiuscumque ritus participent iuxta normas liturgicas a legitima auctoritate adprobatas.

§ 3. Ubi Ecclesiae necessitas aut vera utilitas id suadeat, possunt etiam, deficientibus sacris ministris, quaedam eorum functiones supplere ad normas iuris aut ex consensu Hierarchae loci.

Can. 92

Praeter catecheticam instructionem, inde ab infantia habendam, laici obligatione tenentur et iure gaudent acquirendi cognitionem, uniuscuiusque capacitati et conditioni aptatam, doctrinae a Christo revelatae quam tota Ecclesia profitetur et quae a Conciliis Oecumenicis, a Summis Pontificibus, et a propriae Ecclesiae Hierarchis traditur, non solum ut secundum eiusdem doctrinam vivere valeant sed etiam ut ipsi eam enuntiare atque, si opus sit, defendere possint.

---

* Refertur ad canonem 2 Litt. Ap. « Cleri sanctitati » de cuius recognitione quaedam in *Nuntia* 3, pag. 48 can. 5 legi possunt.

Can. 93

Patrimonio liturgico, spirituali, theologico ac disciplinari propriae Ecclesiae laici sedulo studeant ita tamen ut mutua benevolentia ac aestimatio atque unitas actionis inter laicos diversorum rituum foveatur ac varietas rituum nedum noceat bono communi societatis in qua vivunt sed ad idem bonum in dies magis conducat.

Can. 94

§ 1. Ius est laicis pleniorem illam in scientiis sacris sibi acquirere cognitionem quae in Universitatibus ceterisque ecclesiasticis Institutis superioris instructionis traditur et ibique gradus academicos consequi.

§ 2. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, habiles sunt qui missionem docendi doctrinam christianam necnon scientias sacras a legitima auctoritate recipiant.

Can. 95

§ 1. Generali obligatione tenentur laici, sive singuli sive in associationibus coniuncti, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis magisque pertingat; quae obligatio eo vel magis eos urget iis in adiunctis in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

§ 2. Praeterea, ii qui habiles sunt vocari possunt ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae immediate cooperentur.

§ 3. In divino nuntio autem aliis comunicando laici prae oculis habeant quod Ecclesia severe prohibet ne quis ad fidem amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur atque ut illa tantummodo media Ecclesia permittit quae spiritui evangelico contraria non sint.

Can. 96

§ 1. Quamvis laici ius habent incepta apostolica libera electione constituendi et proprio prudenti iudicio regendi hoc tamen ius ita tantummodo in praxim deduci possit ut integrum maneat principium quod Hierarchiae sit eorum apostolatum fovere, principia et subsidia spiritualia praebere eorumdem apostolatus exercitium ad bonum commune Ecclesiae ordinare atque ut doctrina et ordo servetur invigilare.

§ 2. Nullum inceptum apostolicum ecclesiasticum vocetur nisi consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

Can. 97

§ 1. Habiles sunt laici, debita scientia, experientia et virtute praestantes, ut tamquam periti aut consultores ab auctoritatibus ecclesiasticis audiantur sive singuli sive ut sodales variorum consiliorum et conventuum, ut paroecialium, eparchialium, patriarchalium.

§ 2. Praeterquam ad munera ecclesiastica ad quae laici a iure communi admittuntur ipsi vera aptitudine gaudent ut a Hierarchis ad alia quoque munera adsumantur, iis exceptis quae ordinem sacrum requirunt vel quae a iure particulari singularum Ecclesiarum laicis expresse vetantur.

§ 3. Quoad muneris ecclesiastici exercitium laici plene subduntur superiori ecclesiasticae moderationi.

Can. 98

Si permanenter aut etiam pro tempore speciali Ecclesiae servitio laici addicuntur, obligatione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite implendum requisitam, atque hoc munus conscie, impense et diligenter adimpleant; ius habent ad honestam remunerationem eorum condicioni aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis, necessitatibus propriis ac familiae providere valeant, itemque ius ut suae praevidentiae ac praecaventiae sociali ad adsistentiam sanitariam quam dicunt debite provideantur.

Can. 99

Praeter praescripta generalia huius tituli necnon alios canones in hoc codice contentos qui laicos respiciunt, in iure singularum Ecclesiarum normae magis particulares de laicorum iuribus et obligationibus statuantur.

Titulus XII

DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS

Can. 100 (CS 531)

In Ecclesia habentur consociationes in quibus christifideles, sive clerici sive laici, communi opera contendunt ad perfectiorem vitam christianam fovendam, aut ad cultum publicum vel doctrinam christianam promovendam, aut ad alia apostolatus opera, seu ad evangelizationis incepta, ad ordinem temporalem spiritu christiano animandum, ad pietatis et caritatis opera exercenda.

Can. 101 (CS 532, 534)

§ 1. Unius auctoritatis ecclesiasticae competentis est erigere christifidelium consociationes quae sibi proponunt declarationem doctrinae christianae eiusve traditionem nomine Ecclesiae aut cultus publici ordinationem, quaeve alios intendunt fines spirituales quorum persecutio natura sua eidem auctoritati ecclesiasticae reservatur.

§ 2. Consociationes a competente auctoritate ecclesiastica erectae vel ab ipsa per speciale decretum adprobatae sunt personae iuridicae in Ecclesia et vocantur consociationes publicae.

Can. 102

Consociationes quas libera pactione inter se inita christifideles ad fines spirituales constituunt, etiamsi ab auctoritate ecclesiastica laudentur vel commendentur, consociationes privatae vocantur et reguntur tantummodo iure particulari, firmo canone 105.

Can. 103 (CS 533)

§ 1. Auctoritas competens ad erigendas vel adprobandas christifidelium consociationes: universales et consociationum publicarum confoederationes internationales, est Sedes Apostolica; consociationes atque confoederationes ad aliquam Ecclesiam sui iuris pertinentes, est Patriarcha vel Superior cuiusque Ecclesiae Auctoritas cum Consilio Hierarcharum; consociationes eparchiales est, pro suo cuiusque territorio, Hierarcha loci non vero Administrator eparchiae vacantis neque Protosyncellus aut Syncellus sine speciali mandato.

§ 2. Nulla sectio consociationis universalis vel regionalis in aliqua eparchia erigi potest, nisi accedat consensus Hierarchae loci scripto datus, qui etiam requiritur pro consociationibus quarum erectio ex privilegio apostolico vel patriarchali aliis ac de quibus in § 1 reservata est.

Can. 104 (CS 535, 536)

§ 1. Omnes consociationes sua habeant statuta, quibus definiuntur titulus consociationis, finis, sedes, regimen et condiciones ad partem in iisdem habendam requisitae, quibusque determinantur, attentis patrimonio rituali uniuscuiusque Ecclesiae, temporis et loci necessitate vel utilitate, agendi rationes.

§ 2. Cuiuslibet consociationis publicae statuta, eorumque recognitio vel mutatio, adprobatione indigent auctoritatis ecclesiasticae de qua in canone 103.

Can. 105 (CS 532)

§ 1. Omnes consociationes subsunt vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae de qua in canone 103 cuius est curare ut in iisdem integritas fidei ac morum servetur, et advigilare ne in disciplinam ecclesiasticam abusus irrepant; subsunt etiam eiusdem auctoritatis regimini secundum praescripta canonum qui sequuntur.

§ 2. Hierarchae loci est invigilare supra omnes consociationes in suo territorio activitatem exercentes et, si casus fert, auctoritatem de qua in canone 103 certiorem facere et insuper ad scandalum vitandum remedia opportuna interim adhibere.

Can. 106 (CS 540-544)

§ 1. In consociationes publicas, etiam plures simul, recipi possunt qui conditiones implent iure et statutis consociationis definitas.

§ 2. Nemo legitime adscriptus a consociatione dimittatur nisi iusta de causa ad normam iuris et statutorum.

Can. 107 (CS 540)

§ 1. Nominatio moderatoris spiritus, ubi ex statutis requiritur, competit loci Hierarchae, audito parocho, in consociationibus ab ipso Hierarcha, a Patriarcha vel ab Apostolica Sede erectis aut adprobatis, et in consociationibus a monachis ceterisque sodalibus Institutorum vitae consecratae erectis extra proprias ecclesias.

§ 2. In consociationibus vero a monachis ceterisque sodalibus Institutorum vitae consecratae in propriis ecclesiis erectis ad Superiorem monasterii vel domus Instituti vitae consecratae haec nominatio pertinet; tamen si e clero saeculari moderator spiritus seligitur, Superior, antequam eum nominet obtinere debet consensum eius Hierarchae.

§ 3. Ubi contingat ut socii fere omnes eiusdem sint ritus a ritu monachorum vel ceterorum sodalium Institutorum vitae consecratae diversi, moderator spiritus sit eiusdem ritus ac socii, et exercitia consociationis in ecclesia paroeciali vel in alia eiusdem ritus ac socii fiant, nisi aliud de consensu Hierarchae loci sociorum statutum fuerit.

§ 4. Moderatorem spiritus revocare ex iusta causa possunt qui illum nominaverunt eorumque successores vel Superiores.

Can. 108 (CS 539)

§ 1. Consociatio legitime erecta vel adprobata bona temporalia, ad fines consociationis persequendos, acquirere, possidere et administrare potest sub auctoritate Hierarchae loci, cui rationem administrationis saltem quotannis reddere debet ad normam canonis 102 schematis « De normis generalibus et bonis Ecclesiae temporalibus », minime vero parochi, licet in eius territorio sedem habeat, nisi aliud Hierarcha ipse statuerit.

§ 2. Potest ad normas statutorum oblationes recipere et receptas erogare ad ipsius consociationis usus, salva semper offerentium voluntate.

§ 3. Nulli consociationi licet eleemosynas colligere, nisi id statuta permittant vel necessitas postulet, et consensus accedat Hierarcharum locorum in quibus consociatio eleemosynas colligere intendat atque servetur forma ab iisdem praescripta.

§ 4. Oblationum et eleemosynarum fidelis erogationis rationem consociatio reddat Hierarchae loci.

Can. 109 (CS 547)

§ 1. Consociatio supprimi potest ob graves causas auditis eius officialibus maioribus et salvo iure recursus in suspensivo ad normam iuris, a Patriarcha, audita Synodo permanenti, si consociatio ab ipso erecta vel adprobata sit, secus a loci Hierarcha, auditis consultoribus eparchialibus, etsi agatur de consociatione ex apostolico vel patriarchali indulto a monachis ceterisque sodalibus Institutorum vitae consecratae erecta.

§ 2. Consociationes ab Apostolica Sede erectas vel adprobatas ipsa tantum supprimere potest.

§ 3. Suppressa aut alia ratione extincta consociatione publica, eiusdem bona, nisi eorum destinatio in statutis praevisa sit, in dominium deferuntur personae iuridicae ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum vel donatorum voluntate necnon iuribus quaesitis.

INDEX

Praenotanda	. . . . .	pagg.	81-92
Titulus IX	*De clericis*	*Cann*	1-5
Caput I	De institutione clericorum	»	6-9
Art. I	De seminariis erigendis et regendis . .	»	10-22
Art. II	De institutione ad ministeria	»	23-41
Caput II	De adscriptione clericorum alicui eparchiae	»	42-51
Caput III	De obligationibus et iuribus clericorum . .	»	52-81
Caput IV	De amissione status clericalis	»	82-87
Titulus X	*De laicis*	»	88-99
(Titulus XI	*De monachis etc.* alibi)		
Titulus XII	*De christifidelium consociationibu.*	»	100-109

BREVE RELAZIONE SUI LAVORI DELLA COMMISSIONE DAL 15 DICEMBRE 1980 AL 15 DICEMBRE 1981

L'attività dell'anno 1981, per quanto riguarda i lavori della Commissione, si è quasi esclusivamente concentrata nella preparazione dei vari schemi da mandarsi in stampa, nel loro invio agli Organi di consultazione e nella raccolta e classificazione delle numerose osservazioni pervenute alla Commissione, relative ai due schemi, cioè quello « De cultu divino et praesertim de Sacramentis » e quello « De monachis ceterisque religiosis necnon de sodalibus aliorum institutorum vitae consecratae » (cf. *Nuntia* 11 pagg. 3-53).

Invero l'anno non è stato del tutto privo delle riunioni dei gruppi di studio, ma esse si sono ridotte alle due seguenti, di due settimane ciascuna, per non menzionare, se non di passaggio, una breve riunione di una mattinata (16 settembre) di un gruppo speciale il quale aveva il compito di mettere a punto alcuni canoni dello schema « De clericis et laicis » prima di mandarlo in stampa.

Dal 1 al 12 giugno ha avuto luogo il gruppo di studio composto da 11 membri che aveva il compito di esaminare tutte le osservazioni pervenute alla Commissione riguardanti lo schema « De cultu divino et praesertim de sacramentis » e di rivedere lo schema per quanto possibile « iuxta placita organorum consultationis ». Le osservazioni, debitamente ordinate, sono state raccolte in un apposito fascicolo di 128 pagine; si deve dire però che se quasi tutti i *placet* erano *iuxta modum,* tuttavia lo schema nel suo insieme non ebbe se non un solo *non placet* e questo per giunta alquanto esitante ed appartenente ad una singola persona. Questo gruppo di studio ha avuto 16 sessioni, di 43 ore complessive di lavoro collegiale. Nel corso di questa riunione, data la mole delle osservazioni e spesso la difficoltà della materia, si sono rivisti 114 canoni dello schema che ne contiene 236, mentre i rima-

nenti sono stati trasmessi ad una prossima riunione dello stesso gruppo che si prevede per i primi mesi del 1982.

Dal 30 novembre al 12 dicembre invece si è radunato il gruppo di studio per la *expensio modorum* e per i relativi emendamenti dello schema « De monachis ceterisque religiosis necnon de sodalibus aliorum institutorum vitae consecratae ». Le osservazioni pervenute nei mesi estivi circa questo schema sono state anche esse numerose e sono state raccolte in un fascicolo di 185 pagine. Si noti tuttavia che questo schema è stato accolto positivamente da quasi tutti gli Organi di consultazione, anzi ha avuto alcuni *placet* incondizionati. Questo gruppo di studio è stato composto, oltre che da cinque consultori della Commissione, anche da altri cinque esperti del diritto monastico e religioso, con l'intenzione di attirare alla collaborazione, per quanto possibile, tutte le varie correnti che sono risultate da un primo esame delle osservazioni pervenuteci. Questo gruppo di studio ha avuto 11 sessioni, di ore 33 complessive di lavoro collegiale, ed ha rivisto circa la metà dei canoni dello schema, trasmettendo i rimanenti ad una prossima riunione prevista per i primi mesi del 1982.

Per quanto riguarda la stampa degli schemi ed il loro invio agli Organi di consultazione i tempi erano i seguenti.

1) Si noti che lo schema *De cultu divino et praesertim de Sacramentis* è stato inviato agli Organi di consultazione il 2 giugno 1980 con il termine massimo per le risposte fissato al 31 dicembre dello stesso anno.

2) *Schema canonum de monachis ceterisque religiosis necnon, de sodalibus aliorum institutorum vitae consecratae* è stato inviato agli Organi di consultazione il 29 dicembre 1980. Il tempo utile per le risposte è stato fissato al 30 giugno 1981. Lo schema è pubblicato nei *Nuntia* 11 pagg. 3-53.

3) *Schema canonum de evangelizatione gentium, magisterio ecclesiastico et oecumenismo* è stato inviato agli Organi di consultazione il 6 giugno 1981, con la preghiera di fare pervenire le risposte non più tardi del 31 dicembre 1981. Lo schema è pubblicato nei *Nuntia* 12 pag. 3-36.

4) *Schema canonum de normis generalibus et de bonis Ecclesiae temporalibus* è stato inviato agli Organi di consultazione il 30 settembre 1981. Il tempo utile per le risposte circa questo schema termina il 30 marzo 1982. Lo schema è pubblicato in questo stesso fascicolo alle pagg. 3-58.

5) Per lo *Schema canonum de sanctionibus poenalibus in Ecclesia* vale quanto detto al n. 4 dato che i due schemi sono stati inviati con la stessa lettera. Lo schema è pubblicato in questo stesso fascicolo alle pagg. 59-80.

6) *Schema canonum de clericis et laicis* è stato inviato agli Organi di consultazione il 10 novembre 1981 con la preghiera di fare pervenire le

risposte non più tardi del 30 maggio 1982. Anche questo schema è pubblicato in questo numero alle pagg. 81-119.

Due schemi non sono stati ancora stampati: quello *De constitutione hierarchica Ecclesiarum orientalium* e lo schema *De tutela iurium seu de processibus*

Nostre informazioni

Profondamente scossa dal sacrilego gesto verso Sua Santità Giovanni Paolo II, il 13 maggio, la Presidenza della Commissione e la Segreteria con tutto lo staff ha partecipato alle fervide preghiere per la salute del Santo Padre, indette dal Vicariato di Roma il 14 maggio sera sul luogo dell'attentato, e alla Santa Messa del lunedì 18 maggio insieme con tutta la Curia Romana.

Il 14 maggio la Presidenza della Commissione, a nome di tutta la Commissione ha inviato al Santo Padre il seguente telegramma:

« SCONVOLTI DAL SAGRILEGO GESTO DI VIOLENZA VERSO IL DOLCE CRISTO IN TERRA INNALZIAMO FERVIDE PREGHIERE AL SIGNORE PER UNA PRONTA GUARIGIONE DI VOSTRA SANTITA' ».

In risposta il Card. Segretario di Stato ci inviava il 23 maggio il seguente telegramma:

« HO INCARICO DI SIGNIFICARE VIVA GRATITUDINE SANTO PADRE PER DEVOTE ESPRESSIONI PROFONDA VENERAZIONE ET AFFETTO AVVALORATE OFFERTA PREGHIERE RIVOLTEMI DA VOSTRA ECCELLENZA ANCHE NOME CODESTA PONTIFICIA COMMISSIONE AT SEGUITO ATTENTATO SUA VITA ET DESIDERA CHE GIUNGA A LEI COLLABORATORI ET CONSULTORI BENEDIZIONE APOSTOLICA PROPIZIATRICE DIVINA ASSISTENZA ».

* * *

Allo scadere del 1981 la Commissione risulta composta di 22 membri, tra i quali il Presidente e Vice-Presidente della Commissione, 6 Patriarchi orientali, 5 Cardinali Prefetti o Presidi di Dicasteri della Curia Romana, e 9 Arcivescovi e vescovi di varie Chiese orientali. I consultori della Commissione sono 65, di cui 25 arcivescovi e vescovi, 40 presbiteri (14 sono religiosi) e 4 laici.

Il giorno 5 giugno è piamente deceduto S.E.R. Mons. Giuseppe Perniciaro, Vescovo di Piana degli Albanesi, membro della Commissione.

Il 4 ottobre si è spento improvvisamente nella pace del Signore S.E.R. Mons. Ceslao Sipovič M.I.C. Vescovo titolare di Mariamme, Visitatore Apostolico per i Bielorussi in Europa Occidentale, e membro della Commissione.

Tra i Consultori è scomparso il giorno 3 ottobre il Rev. P. Johannes Chrysostomus O.S.B. della Abbazia di Niederaltaich.

Il numero dei Vescovi tra i Consultori si è accresciuto con la nomina di Mons. Ignace Raad, nostro consultore, alla Sede Arcivescovile di Saida-Sidone dei Melkiti, e di Mons. Setian Nerses Mikail, a vescovo titolare di Ancira degli Armeni ed esarca apostolico per gli armeni in Canada e USA (cf. Oss. Rom.).

Il giorno 10 ottobre è stato nominato membro della Commissione S.E.R. Mons. Giovanni Stamati Vescovo di Lungro degli Italo-Albanesi.

Da notare è anche che l'organico della Commissione è stato completato con l'assunzione in ruolo come Addetto di Segreteria del Sig. Dott. Agrestini Silvano, che già da alcuni anni lavora assiduamente nella Segreteria.

Tra i defunti benemeriti della Commissione bisogna menzionare anche Mons. Luigi Tautu deceduto il 28 settembre all'età di 85 anni, che ha curato per oltre quarant'anni l'edizione della II Serie delle *Fontes*.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO c/c post. 00774000

SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS
ET CULTU DIVINO

ORDO LECTIONUM MISSAE

EDITIO TYPICA ALTERA

1981, in-8°, pp. LIV-546 (gr. 1020) Lit. 30.000

ORDO
CORONANDI IMAGINEM
BEATAE MARIAE VIRGINIS

EDITIO TYPICA

Formato cm. 17 x 24; pp. 36; brossura.

La pubblicazione contiene:

I. Coronatio imaginis beatae Mariae Virginis intra Eucharistiae celebrationem
II. Coronatio imaginis beatae Mariae Virginis celebrationi Vesperarum coniuncta
III. Coronatio imaginis beatae Mariae Virginis celebrationi Verbi Dei coniuncta
Appendix: Cantus antiphonarum

Lit. 4.000

*

ORDO

MISSAE CELEBRANDAE
ET DIVINI OFFICII PERSOLVENDI

SECUNDUM CALENDARIUM ROMANUM GENERALE

PRO ANNO LITURGICO 1981-1982

1981, in 16°, pp. 118 (gr. 140) Lit. 2.000

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO c/c post. 00774000

SALVATORE GAROFALO

PAROLE DI VITA

COMMENTO AI VANGELI FESTIVI - ANNO B CON SUPPLEMENTO

Commenti evangelici compresi quelli relativi ai vangeli delle feste non domenicali e di quelle infrasettimanali che oggi, in Italia, sono state trasferite alla domenica; raccolta utile a sacerdoti e a quanti fanno del vangelo festivo particolare argomento di riflessione per una vita liturgica più coerente ed intensa.

Volume di pagine 420 + 48 *del formato di cm.* 11 × 17,5. Lit. 10.000

*

ANGELO L. LUCANO

VERSO IL GIORNO

* E' il libro contenente le riflessioni di Angelo L. Lucano, il primo laico ad aver curato il « pensiero spirituale» trasmesso quotidianamente da Radio 2 della RAI.

Collana « Pastorale», II pp. 244 Lit. 7.000

NUNTIA

Commentarium cura et studio
PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS RECOGNOSCENDO
editum
prodibit bis in anno et quoties utilitas id postulare videbitur

Directio: penes Pontificiam Commissionem Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo
Direction et rédaction: Commission Pontificale pour la révision du code de Droit canon oriental
(Via della Conciliazione 34, 00193 Roma)

Administration: Libreria Editrice Vaticana, Città del Vaticano
(c.c.p. N. 00774000)

	Abbonamento annuo Abbonnement annuel Annual subscription	Annate arretrate Années précédentes Past years
Italia	L. 9.000	L. 13.000
Extra Italia	L. 11.000	L. 13.000